D. CHRISTIANI FRIDERICI SCHNURRER
UNIVERSITATIS LITTERARUM TUBINGENSIS
NUPER CANCELLARII

ORATIONUM ACADEMICARUM HISTORIAM LITTERARIAM THEOLOGICAM ET ORIENTALEM ILLUSTRANTIUM DELECTUS POSTHUMUS.

PIAE MEMORIAE CAUSA
ADDITA PRAEFATIONE BIOGRAPHICA

EDIDIT

D. HENR. EBERH. GOTTLOB PAULUS,
CELS. BADARUM MAGNO DUCI A CONSILIIS ECCL. INTIMIS, THEOLOGIAE AC PHILOSOPHIAE IN ACADEMIA HEIDELBERGENSI PROFESSOR.

TUBINGAE,
APUD C. F. OSIANDRUM.
1828.

LECTURIS S. EDITOR.

Suaviter et concinne, quoties vel Decano philosophicae facultatis vel Cancellario universitatis solemniter dicendi occasionem offerebant officiumque imponebant publicae illae antiquitus et sapienter institutae exercitationes academicae — suaviter et concinne, inquam, verba facere solebat in magna attentorum auditorum celebritate praeceptor olim meus, celeberrimus Chr. Fr. Schnurrer.

Argumenta eligere amabat ex historia patriae litteraria, non solum exquisitiora, qualia ex amplissima harum rerum disquisitione, excussis ad pulvisculum usque ac sagacitate mira et indefessa exploratis singulis momentis, facile depromenda habebat; sed ad aemulationem bonorum etiam excitandam apta eadem erant et caute dicendi arte, qua pollebat, hunc ad finem limatius adcommodata, proinde grata audientibus, digna doctore humanissimo eodemque gravissimo, nunc etiam lecturis sine dubio et jucunda et profutura.

Nec sane diutius in scriniis *filii* *) superstitis delites-

*) A parente tali, medicinae non circumforaneae, sed eruditiori atque a philologicis etiam studiis instructae dicatus et consecratus, inclaruit jam et ipse, Vir Doctissimus, Fridericus Schnurrer, inprimis editis (1825) Annalibus morborum humani generis historice et geographice conside-

cere debebant, quae ad alios venerandi patris libros, sacrorum in Würtembergia repurgatorum historiam scite illustrantes, eruditorumque in litteris orientalibus antecessorum memoriam ea, quae posteros decet, aequitate et solertia recolentes *supplementi* loco esse, atque a peritis non posse non desiderari videbantur.

Ferent enim aetatem et inter historicos subacti ingenii perduratura sunt, quaecunque Vir politissimus sub titulo: *Erlaeuterungen* (1798.) de Reformatione Ecclesiae Würtembergicae virisque de illa bene meritis accuratissime delectuque rerum memorabilium solertissime facto exposuit. Ferent haec aetatem *una cum appendice* ista historico-litteraria, qua *de libris Slavicis*, qui ad nostram sacrorum repurgationem pertinebant, Carinthiorum in usum in Würtembergia seculo decimo sexto (inde ab a. 1555.) typis impressi sunt, incognita multa virorumque non obliviscendorum memoriam graviter restaurantia exhibuit.

Quibus in commentariis id praecipuae laudis inesse mihi videtur, quod ubique ex fontibus hauriens notabiliora quaevis et quidquid colorem temporis hominumque agentium ingenium ac mores vividissime referret et delinearet, ex ipsa illa antiquitate verbotenus derivare, narrationique suae elegantiori, ad simplicitatem tamen antiquitatis imitandam compositae, absque fastidio ita interserere calluerit, ut, veluti pictura vetus et coaeva ornatiori circum-

---

randorum, sub tit. Chronik der Seuchen, in Verbindung mit den gleichzeitigen Vorgängen in der physischen Welt und in der Geschichte des Menschen. I Th. vom Anfang der Geschichte bis in die Mitte des XV. Jahrhunderts. II Th. von dort bis auf die neueste Zeit. Mit vollständ. Register (Tübingen bey Osiander).

data loculamento, pro nativa sua veritate eo magis elucescant. Genuinae enim illae antiquitatis reliquiae perstringunt attentiorum animos, qui in ipsam rerum gestarum praesentiam et loquentium auditionem deduci non possunt non peramare.

Absunt vero quam longissime a limpida ac tersa hujus factorum scrutatoris oratione rhetoricationes illae vanae atque ambitiosae omnes, quibus nimis *πνευματικοὶ* quidam et elegantiores, si Dîs placet, historici non res, quarum meminisse juvaret, quas vero eruere molestius foret, sed suas, scilicet ideales meditationes de rebus, ut plurimum non unquam ita visis ac traditis, fastuosius profari gestirent. Abest phantasmatum pompa, quibus ostentatis illi altiora sapientes historiarum artifices suam rerum, prout gestae sunt, imperitiam scrutandique impatientiam frustra dissimulant.

Qua nimia quidem, cassa tamen luxuriantium ingeniorum fertilitate bene omnino carere potuit genuinae praeteritorum imaginis indagator pictorque noster curiosus aeque ac perspicax. Documenta veterum perscrutatus, eorum coaevus maluit fieri quam novator. In hospitium ipsorum atque amicitiam descendit, quo tetenderint, quid sentire potuerint et pro modulo temporis cogitare, rimatus, particeps fit laborum, quos urgent, et conatuum. Suum etiam judicium, ut pragmaticum decet, interponens, subindicare tamen diversa mavult quam pronunciare, magister artis, res ipsas et quaecunque characteristica ex probabili traditione sedulus elicuit, ita disponendi, ut imaginis veritas loquatur, sine arrogantia verborum et loquacitate. In omnibus id primum spectabat, ut nonnisi vera, et ad unguem certe perquisita proponeret, deinde ut evidenter a se dicta desiderium bonos viros

superiorum temporum et reverendi et imitandi accenderent nunquam poenitendum.

Quanta autem est aequitas et modestia, quam amabilis benevolentia, sed justa tamen in aestimatione antecessorum de litteris Orientalibus in Academia Tubingensi meritorum, de quibus libello, cupediarum id genus monographicarum pleno, (Biographische und literarische Nachrichten von ehemaligen Lehrern der hebräischen Litteratur in Tübingen. 1792.) selectiora exposuit; ea felicitate usus, ut a REUCHLINO *incipere*, in SCHICKARDO *desinere posset*.

Atque *nunc libelli ejusdem continuatio fere et complementum inesse in selectis*, quas cum Würtembergensibus meis ut proxime, sed cum omnibus omnino etiam historiae litterariae amicis communicare laetor, *orationibus academicis*. A MELANCHTHONE atque a prisca *Tubingensis universitatis et Wittebergensis* (a Mavorte, proh dolor, de sacra illa Protestantibus et primaria sede noviter motae ac propulsae) consanguinitate, ad BRENTIUM, JACOBUM HEERBRANDUM, HAFENREFFERUM, nec non ad authenticam *de commercio litterarum cum Constantinopolitanis Graecorum Patriarchis* per STEPH. GERLACHIUM inito notitiam deduci, quis Theologorum nostrorum non gaudebit?

Rariores quoque ii, qui inter Theologos hucusque a litteris hebraicis et orientalibus ad historicam Christianismi originarii cognitionem, tamquam unice adaequatam, viam sibi aditumque parare satagunt, nonne de GUIL. SCHICKARDO, viro admirabili, spicilegium adhuc satis locuples adinvenire, nec non *de posterioribus litterarum orientalium professoribus Tubingensibus* plura ex perito artis audire cupiant?

Omnium vero, qui litteris vel student vel favent,

animos erigent, reor, atque excitabunt, quae de Matthia Langio, scholae artium Tubingensis magistro, tandem vero Principe et Archiepiscopo Salisburgensi, quae de Melchiore Volmaro, Graecitatis non minus bene quam Jurium professore, de Ge. Burchardo, non famae quidem concelebratione, sed revera, commendabili, de Vito Millero ex inopia famulitii ad academicam eruditionem eluctato, memoriae atque aemulationis causa lucide, candide, veraciter exponuntur.

Sequitur etiam *oratio in Carolum, Würtembergiae Ducem honorifica.* Is nimirum hic ipse princeps erat, a quo ingeniorum, artium, litterarum incitamenta prius inaudita, pulcrique et elegantiarum adspectabilium studia, pedantismo inter homines mere practicos glebaeque suae atque arctis finibus addictos inveterato, obsoleto nunc, sed facile renascenti, contraria per terras istas, dimidio nunc auctiores auspicato illuxisse, serior aetas justo citius oblivisci posset. Unde liberalior quisque transacti temporis aestimator hoc ipsum pietatis Schnurrerianae, cui et meam hac in re adjungere gestio, monumentum pie suscipiet, dicatum Musagetae Illustrissimo, qui pessimae educationis semina nobilitate ingenii, exterorum prava consilia maturescente judicio atque experientia superavit. Catholicae ecclesiae Germanicae religiose addictus, omni tamen partium studio propulso, *utrinque* non nisi erectiora, humaniora, pulcri decorique gustu commendabilia dilexit. Unde viris morum honestate, veriora investigandi facultate, meliora, sed circumspecte introducendi studio, bene et probabiliter eloquendi arte conspicuis ipse uti et sciens et amans, omni illo sacrificulorum genere, rudi et barbaro, *utraque* ex ecclesia nimis facile ad limina potentiorum adrepente, procul semper a se abesse jusso, ecclesiastis prae-

stantioribus artiumque liberalium auxiliis sacra sua sapienter ornavit. Quid autem oculus principis favorque in litteras et artes humaniores non officii solius, sed animi et delectationis causa directus valeat, Academia illa ostendit, quae *militaris* dicta, civitati quoque et universae reipublicae non paucos ultra modulum adsuetum praeparatos emittebat, aulae ipsi sensum pulcri et egregii honorificum instillatura. Eos ipsos vero progressus, nutu principis veluti solis radiis fotos nutritosque, schola illa in suo genere unica arbitris futuram cultiorum civium et felicitatem et gloriam sordido auro cariorem habentibus atque eminus prospicientibus non sola comprobavit. Vocem summi magistratus et quasi praesens ipsius numen multo plus, quam emissa e collegio jussa et praecepta, efficere et universitas litterarum Tubingensis, et seminarii theologici Ephorus, SCHNURRERUS ipse, licet non praeter invidiam multis modis experiebantur, cum CAROLUS *Dux* animos et docentium et discentium majestate adspectabili motos, urbanitate sua demulcere promptamque voluntatem sibi humanitate comite devincire amaret.

Notitia de Sanscritico libro *Hitopadisha* etiam ad illustrandam historiam EBERHARDI *primi*, inter Duces Würtembergiae praestantissimi, pertinet. Quae reliqua sunt, locum suum sibi sine explicatione vindicant, putem, et defendunt.

Sed in memoriam Viri gravissimi, qui aliorum bonorum memoriae pie recolendae tantum studii et solicitudinis impendebat, aliqua saltem adservare, officii etiam videtur esse grataeque mentis justissima significatio. Audiamus potissimum, quae, munus professoris aditurus, de initiis, unde totus ille vitae multis proficuae habitus, unde potissimum cum eruditione mores viri apud exteros non

frustra peregrinati ad mensuram, ut ita dicam, plus quam territorialem formabantur, testis ipse instructissimus per Programma aditiale de die 4. Nov. 1772. publice profiteri voluit.

„Natus sum, inquit, Canstadii anno hujus seculi XLII a. d. 28 Octobr. patre Samuele friderico, viro probo atque honesto, qui mercaturam ibi faciebat, matre Agnete Elisabetha, e gente Herzia, qui uterque parens meliore jam inter beatos vita fruitur. Prima litterarum rudimenta posui in ludo oppidi patrii, quem tum moderabatur Schüzius, vir pl. rev. nunc in pago Rohrackerensi ecclesiastes: postea translatus in gymnasium Stuttgardianum, in disciplinam datus fui Zimmermanni, prof. et classis Vtae praeceptoris celeb., quo per tres fere annos magistro usus sum fidelissimo ac dexterrimo. Nil magis optabat optimus pater, quam ut filius, si constitutum aetatis terminum attigisset, reciperetur in eorum numerum, qui publicis sumtibus in scholis primum sic dictis monasticis, deinde in stipendio, quod Tubingae est, theolog. aluntur, atque ad obeunda munera ecclesiastica formantur: et quamquam ipse studia mea suis consiliis regere non poterat, utpote ipse litteris non imbutus; nihil tamen unquam deesse mihi patiebatur, quod ad ingenium pueri litteris bonisque moribus excolendum facere aliquid ullo modo poterat. Et postquam in quinque examinibus, quae Stuttgardiae quotannis publice instituuntur, probaveram ill. Consistorio profectus pueriles, dignus judicatus fui a. LVI., qui numero alumnorum in scholam Denckendorfensem recipiendorum adscriberer. Praeerat tum huic monasterio ven. Abbas, b. Weissensee, bonasque litteras docebant b. Steinwegius et b. Jaegerus, profess. celeb. Horum institutione postquam per biennium usus fueram, progres-

sus fui, uti mos est, in scholam Mulifontanam, quae Abbatem tum habebat b. Harpprechtium, professores Langium, nunc s. ven. Abbatem Regiofontanum, et Sprengerum, virum maxime rev. ac celeberr., qui etiamnum scholae illius singulare decus est atque ornamentum. In hanc deinde litterarum universitatem promotus an. LX in philosophicis scientiis, praeter Lohenschioldum et Hofmannum vita jam defunctos, praeceptores habui eos ipsos professores excellentiss. atque doctissimos, qui adhuc academiam nostram ornant et illustrant, exc. nempe Ploucquetum, p. t. Prorect. magnificum, s. ven. Schottium, exc. Kiesium, s. ven. Uhlandum et s. ven. Baurium, quibus et gratias ago amplissimas pro maxima, qua me tum complexi fuerunt, et adhuc complectuntur, benevolentia, et salutem veramque prosperitatem ex animo precor. Fuit autem illud inprimis mihi perhonorificum, quod s. ven. Uhlandus, novum munus docendi historiam auspicaturus disputatione publica, hoc mihi sui erga me favoris signum dedit haud dubium, ut respondentis partes mihi concederet, cujus rei memoria non potest non mihi esse longe jucundissima. Exacto, quod philosophicis studiis destinatum esse apud nos solet, biennio, accepi an. LXII ab amplissimo ordine summos in philosophia honores, atque in ipso actu solenni ad gratias meo sociorumque nomine, inter quos primum locum obtinueram, agendas orationem publice recitavi.

Jam cum ad theologiam me converterem, nomenque in indicem eorum, qui theolog. studia aemulantur, referrem, felicissime accidit, ut ordinis venerandi Decanus tum esset vir s. rev. Jo. Gottlieb Faber, theolog. tum prof. ordinarius, jam Stuttgardiae in ill. senatu ecclesiastico consiliarius, ecclesiae metropolitanae antistes, et monasterii

Herrenalbensis praesul, socer nunc meus omni pietatis ac observantiae cultu aeternum prosequendus. Quod quidem eam ob causam commemorare volui, quoniam illa ipsa res primam mihi occasionem praebuit familiarius innotescendi viro venerabili, qui me ab isto tempore tanta complexus est benevolentia, ut brevi post filium quoque unicum, Im. Gottlieb, AA. nunc mag. et in stipendio theolog. bibliothecarium, disciplinae meae traderet. Itaque non modo per omne illud tempus, quo Tubingae versabar studiorum gratia, benignum se mihi ac rerum mearum studiosissimum praebuit, sed talem se etiam postea, absenti per litteras frequenter ad me datas, et reduci facto omnibus aliis modis comprobavit, donec tandem, post clementissime demandatum mihi a Serenissimo Principe professoris munus, maximum quod aut dari ab Illo, aut a me exspectari unquam poterat, beneficium mihi conferebat, ut filiam unicam, Louisam Catharinam, virginem virtutibus omnibus ornatissimam, daret mihi in matrimonium. Quod, ut fuit adhuc laetissimum, ita in posterum quoque beatum ex omni parte et diuturnum reddat Deus O. M.

Sed ut redeam ad narrationem de vita academica, in theologia duces habui Reussium, magnif. ac reverendiss. universitatis cancellarium, nec non Cottam atque Sartorium, viros summe vener., quos de me praeclarissime meritos, ut diu servare huic academiae novisque indies viribus ac bonis omnibus mactare velit Deus summus, ex animo precor. Assiduus praeterea fui in frequentandis praelectionibus s. ven. Fabri, eodemque praeside an. LXV publice defendi dissert. theolog. ad confutandum impium libellum, *Catechisme de l'honnête homme*, abs me conscriptam eum in finem, ut extaret aliquod specimen pro-

[illegible]nu meorum, cum jam brevi esset ex academia discedendum. Nam postquam sub finem ejusdem anni post factum examen theolog. ab ill. Consistorio veniam sacrorum faciendorum rite impetraveram, Canstadium me recepi, ibique orationes sacras coram populo frequenter habere institui.

Sed jam serio cogitabam, ut desiderio, quod dudum animum invaserat meum, exteras quoque academias adeundi, satisfacere commoda quadam ratione possem. Erat tum Goettingae recens constitutum collegium theolog. Repetentium, hoc laudabili plane consilio, ut juvenes scientiis theolog. imbuti opportunitatem haberent docendo pariter ac discendo in rerum divinarum scientia proficiendi, seque in futuros, si visum fuerit, doctores sensim formandi. Hac igitur opportunitate cum ipse frui desiderarem, decentissime rogavi s. v. COTTAM, ut, si, probaret consilium, vellet per pristinam cum Goettingensibus familiaritatem viam mihi parare illuc perveniendi. Ille non probavit modo consilium, sed et, ut obtinerem, quod optabam, a b. MUNCHHUSIO, res academicas tum curante, et WALCHIO, theologo celeb., facile impetravit. Anno itaque LXVI venia a patre optimo, sed aegre (praesagiebat enim quasi animo, se filium in hac vita non iterum visurum) concessa, iter Goettingense suscepi. Cooptatus in numerum Repetentium, in id jam omni animi contentione incubui, ut et morum castitate et diligentia in explendis muneris partibus isto honore me non plane indignum praeberem. Praeter negotia vero legibus praescripta, ad quae id quoque pertinebat, ut quosdam vet. test. libros in collegiis publicis interpretarer, in templo etiam academ. orationes sacras saepius habui; celeberrimorum doctorum scholas, v. c. s. ven. WALCHII historicas, et ill. MICHAELIS exege-

ticas et philolog. assidue frequentavi; Regii Instituti historici, cujus me socium esse voluit ill. GATTERERUS, conventibus nunquam non interfui; nihilque praetermittere volui, quod vel studiis prodesse meis, vel aliorum mihi favorem conciliare poterat. Ac sane per omne illud tempus, quod Goettingae transegi, magna usus sum benevolentia cum universi theologorum ordinis, tum WALCHII praecipue, theologi primarii, cui eximio viro, quem per omnem vitam summa observantia atque amore prosequi non desinam, quantum ipse debeam, verbis exprimi vix potest. Nam non solum libero me ad Ipsum accessu quovis tempore uti voluit consiliisque gravissimis studia mea rexit: sed etiam tam honorifice de me sensit, ut de munere academico mihi curando serio cogitaret. Etenim, cum post optimi parentis obitum, qui contigit mense Sept. an. LXVII, animum induxissem ad iter litterarum causa extra Germaniam faciendum, idque WALCHIO, fautori meo maximo, significarem; probavit quidem vehementer istud propositum, sed simul mentem suam de me Goettingae retinendo humanissime mihi aperuit. Itaque tantopere me commendavit MUNCHHUSIO, ut stipendium quoque ad minuendos profectionis sumtus per biennium mihi solvendum sponte sua offerret alter ille Maecenas, juberetque, theologorum collegium suum de me deque loco post reditum commode mihi assignando judicium exponere: quo facto dignum me illi judicarunt, qui Facult. theol. Adjuncti titulum et munus sustinere possem. Verum ista res successu caruit, quod ipse nexum cum patria, et vincula, quibus cum ea ob sumtus publicos in me factos contineor, rumpere religioni mihi ducebam.

Goettinga igitur, post exactum ibi non sine multo fructu biennium, cum honorifico ven. Facultatis theolog.

testimonio dimissus an. LXVIII, excursione ante facta Hanoveram, ubi perill. MUNCHHUSIO pro beneficiis in me collatis gratias submisse egi, Brunsvicum et Guelferbytum, iter per Cassellas, Gotham, Erfurdiam, Vinariam, direxi Jenam. Animus quidem erat, post aliquot dierum intervallum Lipsiam statim pergere: sed urgente MAIERO meo, prof. nunc Jenens. et Seren. principis haereditarii Vinariae in historia jureque publico praeceptore, amico a prima inde juventute intima familiaritate mecum conjunctissimo, ut longiores ibi moras facerem; eo facilius id persuaderi mihi passus fui, quod TYMPIUS, magnus philologus, suam mihi in discendis litteris Arabicis Rabbinicisque operam privatissimam pollicebatur. Neque me unquam poenituit istius consilii. Nam et praeceptorem habui fide non minus, ac dexteritate insignem, et singulari praeterea favore usus fui s. ven. WALCHII, familiaritate autem suavissima BALDINGERI, medic. prof. celeb., et cel. WIEDEBURGII, cujus humanissimae quoque commendationi debeo honorem ac titulum membri Societatis Ducalis Teutonicae honorarii. Et cum illo tempore, quo post exactum fere trimestre spatium, Jenensi commorationi a me destinatum, cogitabam de abitu, vita fungeretur optimus TYMPIUS, adeo benevole de me sensit ampliss. philos. ordo, ut me, non inscium modo, sed et tale quid prorsus non expectantem, cooptaret in eorum numerum, quos tanquam idoneos ad munus prof. LL. OO. ordin. sustinendum commendaret Serenissimis Ducibus Saxonicis. Quod cum mihi significaret celeb. HENNINGIUS, ordinis sui tum Decanus, gratissimo quidem, uti par erat, animo veneratus fui istum honorem eximium, sed et candide simul professus, me et imparem futurum muneri illi gravissimo rite explendo,

et veniam quoque ob arctissimum cum patria nexum vix fore impetraturum.

Lipsiam deinde profectus, hoc maxime in votis habui, ut celeb. REISKII in litteris Arabicis institutione frui mihi liceret. Atque annuit non modo petitioni meae vir optimus, sed in domum quoque suam me postea recepit, quod quanto mihi usui fuerit dici vix potest. Nam praeter horam singulis diebus legendis scriptoribus Arabicis destinatam, aditum mihi ad se liberrimum quovis tempore patefecit, libris tam impressis quam mstis, quorum selectissimam habet copiam, studia mea juvit, talemque se mihi, ut brevibus dicam, semper praebuit, ut candidiorem virum atque ad quaelibet officia praestanda paratiorem ego quidem cognoverim nullum. Plurimum etiam debeo benevolentiae s. ven. ERNESTI, theologi longe celeb., qui me, quotiescunque ipsum honoris causa adii, excepit humanissime, et nunquam nisi doctiorem a se dimisit. Celeberrimi AUG. GUIL. ERNESTI, eloquentiae prof., summe ven. DATHII, pl. rev. WEISII, AA. M. et Catechetae tum Lipsiensis, favorem atque amicitiam singularem tam feliciter colui, ut jucundissimi illius temporis gratam memoriam nullum unquam tempus ex animo sit deleturum.

Halam quoque bis profectus, viros eruditionis laude clarissimos, s. ven. SEMLERUM, NOESSELTUM, b. KLOZIUM aliosque conveniendi occasionem habui.

Post septem fere menses Lipsiae transactos Dresdam abii, inde Wittebergam, porro Berolinum. Hic, quod alibi etiam feci, occasionem praetermisi nullam, in doctorum et clarissimorum virorum, quorum tantam urbs illa copiam habet, quantum in Germania nostra vix ulla alia, notitiam perveniendi. Ac grata inprimis memoria nunquam non prosequar benevolentiam s. v. TELLERI atque s. v.

BÜSCHINGII, quorum ille ill. STOSCHIO, bibliothecae regiae praefecto, ita me commendavit, ut non solum aditum ad bibliothecam quotidianum, sed mstorum etiam ibi extantium usum libentissime mihi concederet: hic vero domesticum quasi ac plane familiarem secum esse voluit.

Berolino discedens, ad Batavos iter direxi. Substiti primum Barbii, ut tum Herrnhutianorum sacra atque ritus cognoscerem, tum ut a Pildero quodam, qui in Aegypto Arabicae linguae rerumque orientalium notitiam sibi comparavit haud mediocrem, varia ediscerem. Helmstadium postea perrexi, Brunsvicum et Hanoveram, unde continuo itinere Amstelodamum perveni. Ex hac urbe hunc praecipuum fructum deportavi, quod amicitiam mihi comparavi celeb. in academia Harderovicensi prof. EVERH. SCHEIDII, per ferias in urbe degentis, viri doctissimi atque ad promovendam litteraturam orient. doctrina, studio, subsidiis instructissimi, Leidae SCHULTENSIUM adii et RUHNKENIUM, VV. CC., Hagae Comitum s. rev. BARKEYUM salutavi; Trajecti celeb. SEB. RAVIUM ob ferias academicas frustra quaesivi.

Britanniam tandem, cujus videndae jam a multis inde annis singulari quodam desiderio laboraveram, cum feliciter attigissem Mense Aug. an. LXIX, eam mihi legem scripsi, ut nihil praetermitterem, quod ad meam ibi commorationem, sumtuosam profecto, salutarem quoque ac fructuosam reddendam facere aliquid posset. Primo igitur, ut linguam, quantum fieri posset, familiarissimam mihi redderem, protinus secessi in pagum quendam Londino vicinum, ibique, accedente ad institutionem magistri continuo usu atque exercitio, brevi tempore tantum profeci, ut cum Britannis Britannorum ore colloqui facile potuerim. Londini postea ut frequentare quotidie potuerim amplissimam mstisque

omnis generis instructissimam bibliothecam Musei Britannici, effecit commendatio ven. WOIDII, ecclesiae reformatae in aede, Savoy dicta, antistitis, viri eximii ac perquam officiosi, cui praeter innumera alia in me merita id quoque gratus debeo, quod in notitiam ac familiaritatem perveni ANT. ASKEWII, medic. doctoris celeb. ac REISKIO meo amicissimi; b. GREG. SHARPII, suis pariter scriptis ac opusculorum Hydianorum nova editione clarissimi; ven. HENR. OWENI, auctoris doctissimi libri, Enquiry into the present State of the Septuagint Version. Sed inprimis gratulor mihi de amicitia ven. et cel. KENNICOTTI, qui non solum, quotiescunque vel Londini, vel postea Oxonii ipsum adii, excepit me humanissime, sed et reverendiss. LOWTHO, Oxoniensi Episcopo, innotescendi occasionem mihi praebuit exoptatissimam.

Peracta Londini hyeme, ineunte vere Oxonium me contuli, ibique statim frequentandae bibliothecae Bodlejanae veniam modeste petii, et post dictum, uti mos est, sacramentum impetravi. Hac igitur opportunitate, quo brevius mihi tempus constitutum erat, eo ardentiori studio fruebar, ut integrum plenumque diem in bibliotheca consumerem, et praecipue in cognoscendis excerpendisque celebriorum Rabbinorum, v. c. Tanchum, Jonae, Judae Fessani scriptis exegeticis et philologicis, arabico idiomate compositis et longe rarissimis, quorum notitiam ex libris Pocokii, maximopere illa commendantis, antea hauseram, totum me collocarem. Atque hic non possum, quin publice gratus praedicem eximiam plane humanitatem clariss. viri, PRICE, biblioth. praefecti primarii, qui non solum nihil unquam deesse mihi passus est, sed sponte etiam, quicquid usui mihi esse poterat, studiose conquisivit: clariss. vero WHITE, biblioth. custos, vir juvenis in litteris orient. doctissimus,

utpote anno abhinc, suadente LOWTHO, constitutus ab Academia ad edendam N. T. versionem Syriacam Philoxenianam, quocum intimam contraxi amicitiam, per litteras quoque continuatam, studia mea quibuscunque rebus poterat, egregie juvit, bibliothecam praeter horas diesque consuetos mihi aperuit, innumerisque officiis me sibi reddidit devinctissimum. SWINTONI praeterea celeb. aliorumque virorum doctorum colloquiis saepe usus fui: HUNTIUM autem, venerabilem senem, pietate ac integritate non minus quam meritorum gravitate conspicuum, et WHEELERUM, LOWTHI in docenda arte poëtica successorem meritissimum tam mihi benevolos habui, ut vitae illius Oxoniensis memoria non possit non mihi per omnem vitam esse dulcissima.

Nec minorem Cantabrigiae expertus fui optimorum Britannorum gratiam ac humanitatem, inprimis HINCHLIFFII, Episcopi Petroburgensis reverendissimi, LORTII, prof. graeci, HALLIFAXII, linguae Arab. tum, nunc legum professoris, aliorumque, quorum memoriam etiamnum gratus veneror. Sed paucorum dierum spatio continebatur mea in hac academia commoratio, quod de abitu tandem ex Britannia erat cogitandum.

Nam ineunte aestate an. LXX valedixi Insulae, trajectoque freto Caletano itinere continuo petii Lutetiam. In hac urbe ita tempus disposui, ut singulis diebus bibliothecam adirem publicam vel Regiam, vel Sangermanensem, vel Genofevensem, quibus postea etiam accessit privata Sorbonnica, cujus frequentandae veniam humanissime mihi concessit clar. ADHENET, theol. in collegio Sorbon. doctor. Domi autem usus fui opera hominis cujusdam Maronitae, Halebo oriundi, qui me singulis diebus conveniebat, scriptumque aliquod Arabicum mecum pertracta-

tabat. Familiaritatem quoque colui clariss. virorum, DESGUIGNES, CARDONNE, DESHAUTERAYES, et LE GRAND, lingg. orientt. in collegio regio professorum: plures etiam, pro more peregrinatorum salutandi gratia conveni, e quibus unum nomino, famosissimum illum Jo. JAC. ROUSSEAU, Genevensem.

Post quatuor circiter menses Lutetiae exactos comparavi me ad iter patriam versus dulcissimam nunc dirigendum. *Argentorati* me detinuit clar. SCHWEIGHAEUSERI, philosophiam in ista Academia cum laude docentis, quocum me Lipsiae jam arctissime conjunxerat studiorum communio, suavissima familiaritas, atque optimorum virorum, s. v. LORENZII, celeb. MÜLLERI atque OBERLINI, quorum favorem idem ille mihi conciliabat, summa humanitas atque benevolentia. Hinc Carolsruham progressus, in patriam veni feliciter a. d. XIX. Octobr. Animus nunc erat Tubingam redire, ibique suscepto tandem in me, quod absenti mihi ab ill. Consistorio honorifice demandatum fuerat, officio Repetentis in seminario theolog. placide exspectare, quam mihi posthac sortem assignaturus sit Deus O. M., cujus propitiam erga me voluntatem providamque curam multis jam, iisque extantioribus modis expertus fueram.

Sed brevi facta est ea rerum mearum vicissitudo, quam nec ipse, nec quisquam alius animo praevidere, aut expectare facile poterat. Nam cum SERENISSIMO DUCI, qui tum hanc nostram musarum sedem sua praesentia illustrabat, reducem me ex itinere factum pro more atque officio sisterem, non modo clementissime me excepit OPTIMUS PATRIAE PATER, et multa etiam de itinere rebusque meis sciscitatus, bene de sua clementia sperare jussit: sed statim etiam, eo ipso die, significavit, velle se, ut puero-

rum nobilium, qui ministrandi causa juxta Principem sunt, moribus ac studiis moderandis praesim. Quod gratiosum Domini mandatum cum pia, uti par erat, mente venerarer, laudavit etiam Sereniss. Princeps hunc animum obsequiosum, atque hortatus me ad continuanda impigre studia, significavit clementissime, ipsum muneri academico posthac obeundo me destinasse.

Nec diuturnam esse sivit spem meam atque exspectationem propitia Principis in me voluntas ac clementia plane singularis, cujus per omne illud tempus, quo in aula juxta sacratissimam Ejus personam versari mihi licuit, specimina expertus fui et multa et prorsus non dubia. Nam hoc ipso anno, accedente ad gratiam Principis commendatione gravissima Viri ill. Fabri, Consiliarii intimi, ac Consistorii Ducal. Vice-directoris, clementissime decrevit mihi, optanti id quidem, sed, quod sancte asseverare possum, non petenti, honorem ac munus professoris philosophiae extraordinarii in hac Sua academia Eberhardino-Carolina, addito stipendio, quod pro meritorum tenuitate largum etiam videri potest. Hujus muneris cum initia ceperim dissertatione inaug. *De codicum hebr. vet. test. MSS. aetate difficulter determinanda*, a. d. XIV Sept. publice defensa; alteram quoque officii partem, quae restat, rite nunc exequar *Oratione* habenda *de linguae Arabicae in hebr. codice interpretando praestantia atque utilitate.*"

Hactenus *ipse.*

Et quam optabile foret, Eundem Ipsum de multiplici vitae reliquae, litteris, muneribus publicis et commercio litterario dicatae, experientia copiosius disserentem, animique sensa subindicantem auscultare!

Ego quidem cum juvenis ad pedes Professoris sede-

rem Ephorumque theologici Seminarii et mihi praepositum suspicerem, meis litterarum studiis et incrementis quovis modo faventem, ingeniorum vero erectiorum luxuriam subinde deliberata quadam severitate coërcentem, tunc mihi adhuc soli et meis ad judicium de veritate theologica efformandum praeparationibus meditationibusque vivens, nec publicam viri vitam nec privatam ultra meos circulos observare sumseram. Valebat autem, id quod et nos cuncti sentiebamus, apud omnes, collegas etiam, mira auctoritate, immo reverentia, quam urbanitate sua quidem temperare, consulto tamen neutiquam avertere a se velle videbatur. Quid? quod metum aliquem multorum sibi peperisse putabatur vir a partium studio alienus, in rebus, quas susceperat, gerendis ad amussim gnavus et indefessus, aestimator sui non nimius, neque tamen unquam humilis. Augebatur autem viri auctoritas, quum ab extantioribus coli, cum optimis quibusque et domi forisque honoratissimis conjunctissime versari cerneretur.

Professoris munere fungebatur inter diligentissimos. Id notabamus unice, quod in philologica et veteris et novi Testamenti interpretatione, liberali sane et accurata, omnem illam ad eruenda dogmata atque ad discernendas a religione temporis opiniones applicationem theologiae studiosis praeparatoriam tamquam e longinquo evitaret. Eo nimirum limite philosophicae quam vocant Facultatis partes a theologica separare, inprimis *philologica* studia ab *Exegesi*, quam Theologiae vindicabant, secernere adhuc aetas ista, intra nostram certe Würtembergiam, satagebat, ubi (exemplo enim uno, sed eximio utendum est) ROESLERO Historiarum professori, sed philosophicae Facultati adstricto, in ecclesiasticis illis sic dictis Patribus aeque ac in classicis historicis ultra modulum aliorum longe versa-

2*

tissimo verique censore perspicacissimo, historiam ecclesiasticam tamen cum historia dogmatum explicatius docere vix et ne vix quidem concederetur: itaque SCHNURRERI prudentia bene cavebat sibi ab eo, quod PHILIPPUS MELANCHTHON, et ipse theologis cathedralibus non adscriptus, inter „causas, cur minus a morte abhorreret," sibi scripserat: Liberaberis nimirum a — zelo theologico! prout Consilia MELANCHTHONIS Theologica P. II. p. 396. acrius hoc de „rabie" Theologorum non nisi in „Theologos de vulgo" dictum asservarunt.

Cujusmodi superiorum temporum exempla non silenda, sed enotanda potius lucique publicae exponenda videntur, ut, quantum in nobis est, caveamus, ne coaevi unquam et sequiores in eosdem laqueos mentisque angustias sive incidant, sive se ipsos coarctent coarctarique unquam sinant, futuro posterorum saltem judicio, quod inexorabile prospiciendum est et perenne, ad pudorem, quippe salutarem, commonefacti.

Etiam quod in scriptis suis singulari eruditione refertis, velut in *Bibliotheca Arabica* (1812.) bibliographum agere, quam scintillas radiosque res ipsas nova luce illustraturos addere, pro sagacitate sua maluerit, id an inde potissimum, quod eandem temporis istius opinionem et superstitionem evitare vir probus, sed cautus, non impugnare voluerit, explicandum videatur, ego quidem nescio. Id certe, quod et in ampla *Dissertationum biblicarum serie* (quas sub titulo: *Philologico criticarum* etc. considerate electo a. 1790. colligendas curavit) tot singulorum locorum difficultates illustrans, ex omnibus tamen, quae vocant, dictis classicis ne unum quidem tetigerit, sine dubio factum est deliberato consilio viri, ut bene novi, religiosi ex animo, sed dogmaticam patristico-Scholasticam ortho-

doxiamque, si placet, territorialem velut suspiciosum aliquod „Noli me tangere“ suo loco pretioque transituro relinquentis.

Quos inter limites cum se circumspectius contineret, nullius partes offendens, multiplicis eruditionis orientalis copia abunde interspersa, placidaque dictione nodos non nisi philologis molestos dilucide extricare solitus, etiam apud exteros jure suo inprimis inclaruit. Cujus celebritatis solerter partae documentum asservandum etiam nobis esse videtur, exterorum nempe philologiae orientalis sane peritissimorum de Schnurrero judicium insigne, quo ad Batavos raro in peregrinum exemplo vocabatur repetitis vicibus, Scheidio, Schultensio, Ravio, nominibus celeberrimis, eminus expetitus successor, cominus vero (mirabile dictu?) — donec res ad superiores Ducis amicos ascenderit — oraculum illud de „propheta intra patriam minus bene accepto“ expertus.

Exhibemus vero hasce ipsas litteras non eo solum consilio, ut honorificam Schröderi et Schultensii sententiam de Nostro testentur. Multo enim honorificentius mihi videtur, quod hoc in negotio de se ipso, id est, de animi sui indole, de candore ab ambagibus vel ostentationis vel lucri faciendi plus quam alieno, Vir ingenuus non verbis, sed re vera edidit testimonium, immo monumentum evidentissimum.

Invitatio provenerat a viro harum litterarum peritia accuratissima longe celeberrimo, nullo unquam ambitu expetita.

I.

VIRO CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

C. F. SCHNURRER

S. P. D.

N. G. SCHROEDER.

Nondum forsan Tibi innotuit, Vir clarissime, professionem Linguarum et Antiquitatum Orientalium in Academia Lugduno-Batava hoc tempore vacare. Post inopinatum obitum Cl. SCHEIDII, qui SCHULTENSIO successerat, collata ea Cl. RAVIO fuit, cum theologica conjuncta. Is vero nuper illam deposuit, hac servata. In locum vacantem amplissimi Curatores *Virum* sufficere cupiunt, *eruditione meritisque celebrem, qui munus cum dignitate sustineat, et Academiae, ad exemplum Schultensiorum, decus addat atque splendorem.* Inter alios quosdam doctrina et nominis fama praestantes viros ne mireris, mi SCHNURRERE, *Te potissimum* Curatoribus esse commendatum. Praesertim apud ipsos multum valuisse credo *amplum judicium, quod de Te tulit beatus H. A. Schultensius,* et ex ejus litteris, post mortem inventis, excerptum JAKOBUS KONTELAAR inseruit annotationibus ad ejusdem Schultensii Elogium pag. 85 — 87.

Ante hoc triduum scripsit ad me Collegii Curatorum Secretarius, cui nomen F. F. HUBRECHT, civis Leidensis, inter ipsos convenisse, ut *professionem ordinariam Linguarum et Antiquitatum Orientalium, quacum munus Interpretis Legati Warneriani conjunctum est, Tibi oblaturi* sint; sed priusquam id faciant, ipsos cupere certiores fieri, Te eam oblatam non esse recusaturum.

Scilicet nolunt repulsae periculum subire, ne forte, si munus alii offerendum esset, minus gratum et acceptum haberetur. Quare ex Curatorum jussu rogavit me idem HUBRECHTUS, vellem privato meo nomine animi Tui sententiam explorare; quod officium, pro nostra amicitia, lubens in me suscepi.

Conditiones, quas Tibi proponendas accepi, hae sunt: *honorarium annuum* erit *bis mille et quadringentorum florenorum*; pro sumtibus itineris et librorum atque supellectilium transferendorum, mille floreni solventur. Accedent emolumenta ad singulos professores redeuntia, cum aliunde, tum praesertim ex Doctorum promotionibus. Denique honoraria accedent ab auditoribus studiosis persolvenda, quae, si bene memini, esse solebant, cum ego Lugduni versarer, pro singulis collegiis, ut vocant, triginta florenorum. Florenos intelligas Belgicos, quorum pretium non accuratius definire possum, quam si dicam *viginti et unum florenos aequales* esse *quatuor nummis aureis*, quos vocant *ducatos Hollandicos*.

Jam Tui res est arbitrii, Vir Clarissime. Ipse statuas, et mihi quaeso, quam primum poteris, significes, quid rebus tuis maxime conveniat. Si placeant conditiones, ne dubites professionem Tibi mox decernendam esse, litterasque ipsorum Curatorum nomine scriptas Te sine mora accepturum. Quodsi vocationem secuturus sis, quod et spero et cupio, Academiae Lugdunensi et Literaturae Orientali, quam utramque ornaturus es, ex animo gratulabor.

Ceterum utor hac occasione, ut Tibi significem, partem Proverbiorum Meidanii, quam Schultensius elaboratam reliquit, nunc tandem post longas et plenas taedii moras, fere totam typis descriptam esse et brevi in lucem prodituram. Utinam ille totum opus absolvere potuisset

Vale, Vir praestantissime; Dabam Groningae a. d. XIX Maji A. MDCCLXXXXV.

2.

Schnurreri Responsum

de die 28 Junii 1795.

Litterae Tuae humanissimae, a. d. XIX Maji scriptae, demum d. VIII Jun. redditae mihi sunt, cum ex morbo, brevi illo quidem, sed acriore, convalescere inciperem.

Quantopere animum meum illae commoverint, verbis exprimere haud possum. Quid enim unquam honorificentius obtingere mihi poterat, quam evocari ad *munus, Erpenii, Golii, Schultensiorum nominibus nobilitatum*, et evocari *Schroedero, quem dudum omnes, qui litteras Orientales colunt, ut principem suspiciunt, interprete*, et, si non commendante me, certe nec dissuadente?

Ac sane, si animi impetum sequi, si mea solius commoda spectare velim, non possim non cupide amplecti *conditionem ea, qua nunc utor, haud parum luculentiorem*, illamque mihi haud petenti auspicio haud malo oblatam. Sed re omni multum diuque agitata, duo maxime superesse video, quae suspensum me tenent, ac mirifice afficiunt. Etenim primum tanto muneri exornando me vix parem sentio; *in Rabbinicis parum versatus, in Persicis Turcicisque plane hospes, in Arabicis quidem litteris mediocriter exercitatus sum, nec tamen ita in iisdem habito, ut quae calamo exarata sint, omnia expedite cognoscere valeam, cum tractandorum codicum, praeter paucos, qui penes me sunt, opportunitate omni, ex quo in patriam viginti quinque abhinc annis redii, fuerim destitutus.*

Deinde provectior aetas — *annum* enim *ago quinquagesimum tertium* — et valetudo nequaquam firmissima facit, ut verendum sit, vel mutato coelo citius ex vita discedam, quam muneris ipsius et familiae etiam meae ratio ferat.

Accedunt nonnulla alia, sed leviora, veluti iter hoc anno vix expeditum, ac ne tutum quidem futurum; bibliotheca ad transvehendum nimis varia et molesta, nec tamen hoc tempore absque dispendio rei familiaris divendenda.

Igitur consultius, atque *ex meo sensu justius videtur, ut temperem mihi, atque me contineam a nova patria*, mihi quidem nec incognita nec ingrata, dehinc vero etiam carissima, ut quae conditionem mihi offerret, qualem, quae me nascentem excepit patria, etiam si velit, ne possit quidem tribuere. *Aegre quidem, ut verum dicam, me contineo, nec tamen invitus id facio, quod probitas suadet atque honestas.*

Te vero, *venerande Schroedere*, obtestor atque obsecro, ut spectatissimum Hubrechtum meo nomine roges, velit amplissimo Curatorum ordini significare, Ipsorum benevolentiam me per omnem vitam gratissimo animo esse veneraturum, et nunquam non pro incolumitate et civitatis et academiae Lugduno-Batavae vota nuncupaturum. Faxit Deus, quod facturum ipsum praevideo, ut in Schultensii Scheidiique, utriusque mihi amicissimi, locum succedat, qui me et dignior sit et diuturnior.

Vale, et nisi grave fuerit, rescribe, ut certus esse possim, redditas Tibi fuisse hasce meas litteras; neque enim adhuc plane expedita esse videtur Belgium inter et Francofurtum cursorum publicorum ratio.

Schultensii Meidanium avide exspecto; sed nec Jobum

illius adhuc videre contigit, quod librorum illinc mittendorum opportunitas omnis deesset. *Kantelarii Elogium penes me habeo. Gravis omnino est b. Schultensii de me sententia: sed gravior etiam, quam ipse ibidem refert, sententia* Schroederi, *quem Deus diutissime servet salvum atque incolumen.* Iterum vale, Vir venerande, et me tibi habe commendatissimum.

Honorifice vocatus cum rem ita gestam et honestissime peractam ad Consilium Ducis intimum, prout officii erat, retulisset, deveniebat causa ad eos nescio quos, qui tum ad curandam Universitatem litterarum Tubingensem delegati erant (Universitäts-Visitations-Deputation appellabantur). Quasi de numulis aliquot, nec de honore patriae virique praeclare meriti quaestio esset, suadebant, ut salarium annuum Schnurreri

75 (septuaginta quinque, inquam) *florenis adaugeretur*, id quod, absque omni alia honoris significatione, quaestori soluturo per rescriptum pecuniarium indicabatur nude et simplicissime, die XVII Augusti. Laudate, posteri!

Domi quidem a pecuniariis istis arbitris parum laudatae (nec tamen algentis) virtutis sagaciores aestimatores se comprobabant Viri, quibus Academiae Lugduno-Batavae cura cordi erat. *Iterabant vocationis honorem, augebant emolumenta, digno viro se dignos fore ostendebant.*

3.

VIRO CLARISSIMO ET AMICISSIMO

C. F. SCHNURRER

S. P. D.

N. G. SCHROEDER.

Hesterno die per cursorem publicum litteras accepi absente Secretario Hubrechto ad me scriptas a *Petro van Lelyveld*, *Membro Collegii spectatissimi*, *quod Academiae Lugduno-Batavae curam gerit.* Significat mihi Vir amplissimus, se suosque Collegas ex tuis ad me litteris, quas ad Hubrechtum transmiseram, non sine dolore intellexisse, Te, vir clarissime, rationibus quibusdam permotum fuisse, ut pro oblata ad istam academiam vocatione, ceteroquin haud ingrata futura, gratias ageres; ex iterata tamen illarum lectione visum esse Curatoribus, aliqua iis contineri, quae interpretationem in meliorem partem admittant et non omnem Tui obtinendi spem praecidant, dummodo difficultates, quas obmovisti, commoda ratione removeantur. Hunc in finem me rogat, velim iterum fores tuas pulsare et *nomine amplissimi Collegii* haec sequentia animo tuo probe consideranda proponere:

„Singularem modestiam, qua de eruditione tua ipse „tam tenuiter sentias, optimam, quam Curatores de te „conceperint, opinionem non minuisse, sed adauxisse; — „aetatem trium et quinquaginta annorum tantam non „esse, ut ea vel Curatores a vocando viro nominis fama „et meritis celebri, vel Te ab amplectenda vocatione, et „nova quasi patria eligenda, dehortari queat; — docendi „provinciam valetudini Viri pluribus annis exercitati non

„videri gravem futuram; quodsi forte divinae placeat pro-„videntiae maturius Te ex vita evocare, *Viduam*, dum „Lugduni commoretur, ex aerario, quod academiae Pro-„fessores collatis symbolis ad sublevandas Viduas condi-„derunt, *pensionem annuam 250 florenorum accepturam* „*esse; filiosque professorum haud negligi solere*, sed si digni, „et muneri publico pares sint, eorum rationem haberi; „recenti exemplo esse filium natu maximum beati Schul-„tensii, quem Curatores ante paucos menses tribunalis „academici Secretarium constituerint; — ad iter versus „Belgium suscipiendum quod attineat, quodsi, vocationem „secuturus, id per vicinas Tubingae regiones Galliae di-„rigere velis, Curatores *per legatos foederati Belgii, qui* „*Parisiis degunt*, id effecturos esse, ut publica auctoritate „Tibi, Tuis, bonisque omnibus tutus, commodus et expe-„ditus transitus procuretur; — denique Curatores, ut novo „specimine propensam suam erga Te voluntatem testa-„rentur, decrevisse, ut *promisso honorario annuo* (cujus „summam in prioribus meis litteris indicavi) *adhuc 200* „*floreni superaddantur*."

Haec singula ex litteris amplissimi Curatoris van Lelyveld belgico sermone conceptis fere verbo tenus in latinum versa huc transscripsi. *Abunde intelliges, quantum Tui sit desiderium, et nihil intentatum relinquere Curatores, ut Te academiae suae acquirant.* Non minus intelliges, difficultates, quas opposueras, ita sublatas esse, ut fere nullae remaneant. Unica quidem superest, quam commemorasti, linguarum persicae et turcicae Te peritum non esse. Sed ad hanc dixisse sufficiat, neminem nunc vocari posse, quem in his linguis constet esse versatum.

Igitur humanissime et pro nostra amicitia enixe Te rogo, ut de re tanti momenti denuo deliberes, et rationes,

quae, meo judicio, tam graves sunt, ut *munus*, *iterata vice*, *tam honorifice et tam luculentis conditionibus*, *oblatum*, utique amplectendum statuant, animo prope expendas; tandemque, divino fretus auxilio, id decernas, quo impenso Curatorum desiderio satisfiat, ita mihi quoque, cui interpretis officio in hoc officio fungi licuit, rem facturus perjucundam. Vale, Vir clarissime et amicissime, exoptatoque Tuo responso, quam primum fieri poterit, nos exhilara.

Dabam Groningae, a. d. XXVIII. Julii.
A. MDCCLXXXXV.

4.

Schnurreri Responsum

d. d. 26 Aug. 1795.

Haud sane quidquam magis praeter omnem meam opinionem accidere mihi poterat, quam repetita ad amplissimum munus Leidense invitatio.

Etenim postquam redditae mihi fuissent Litterae Tuae a. d. XI. Jul. scriptae, breviores illae quidem at humanitatis plenissimae, quibus significares, meas die XXVIII Jun. scriptas abs Te transmissas esse ad spectatissimum Hubrechtum, non poterat non in ea opinione confirmari peritus, A. Collegium Curatorum meam quidem animi moderationem non improbaturum, at de quovis alio potius quam de me nunc esse cogitaturum. Itaque cum alias litteras abs Te scriptas conspicerem, redditas mihi a. d. X. Augusti, adeo praeter exspectationem hoc mihi accidit, ut meis ipsius oculis fere fidem habere recusarem.

Neque nunc id ago, ut quantopere et Curatorum et Tua Ipsius benevolentia animum affecerit, verbis declarare studeam, sed missis ambagibus ad rem ipsam protinus accedo.

Decrevi nunc tandem apud animum, non recusare vocationem divinitus mihi oblatam. At ego mei arbitrii meique juris homo non sum, quod liberae reipublicae civibus mirum, Tibi autem, in Germania et, quod scio, Marburgi nato non incredibile videbitur. Etenim cum juvenis a patre, non quod opibus plane careret, sed quod patriae ratio ita ferret, in stipendium Principis traderer, fidem pro more obstrinxi, velle me nullo non tempore patriae inservire, nec nisi volente et veniam dante Duce Würtembergiae exteris operam dicare. *Igitur Stuttgardiam profectus supremo, quod civitatem Principis nomine administrat, Consilio litteras exhibui, quibus veniam et jus peto, cum A. Curatoribus serio ac honeste de suscipiendo, quod mihi obtulerint, novo munere agendi.* Meum nunc est exspectare, donec ab illis, penes quos arbitrium est, de me statuatur.

Si veniam concedant, fretus divino auxilio — Tuis verbis utor — protinus Te interprete id agam, ut summae Curatorum in me benevolentiae, quantum quidem in me est, respondeam. Si negent veniam, obtemperandum mihi erit, atque res omnis ad Deum O. M. rerum humanarum moderatorem referenda.

Ut primum mihi certi quid innotuerit, absque mora ad Te scribam. Interim enixe Te rogo atque obsecro, velis mihi pro ea, quae in Te est, singulari humanitate significare, quantum Tu putes temporis spatium ab A. Curatoribus mihi concedi posse, antequam munus ipsum sit capessendum.

Ipse vero intelligis, infinita fere esse, quae sint mihi curanda, ut cum familia institui possit migratio. Vale, Vir venerande, cui plus quam ulli alii me debere et sentio et gaudeo. Vale et me Tibi habe commendatissimum.

Stuttgardiae a. d. XXVI Aug. 1795.

In eo itaque res erat, ut frigescens et sibi ipsi nimis sufficiens quorundam incuria Würtembergensi patriae extorrem fecisset Virum huic sane deditissimum, a multis inde annis utroque in munere gravissimo optime de academia atque educatione juvenum ecclesiasticorum meritum, scriptis, fama, amplissimo litterarum commercio cum doctissimis quibusque sui generis exteris conjunctissimum. Displicere nimirum aliquibus poterat Schnurrerus, quibus non facile arridet, re vera officiosum semper fuisse eum, quem humilius obsequiosum ante limina sua videre maluissent.

Se patriaque digniora statuerunt, quibus ex altiori specula honori et usui publico consulere datum erat. Intercedebat — laudate posteri — Ipsius Ducis Serenissima Majestas, litteris sua manu hunc in modum datis:

5.

Hohenheim, d. 16. Sept. 1795.

Mein lieber Professor und Ephorus M. Schnurrer! Ich gebe Ihnen auf Ihr Schreiben vom 20ten August, worin Sie bitten, auf den abermals erhaltenen Ruf nach Leiden sich in wirkliche Unterhandlungen einlassen zu dürfen, gnädigst zu erkennen, daſs Mir ihre vorzügli-

chen Kenntnisse in der morgenländischen Litteratur, so wie Ihre — dem Stipendium in Tübingen geleisteten guten Dienste sehr wohl bekannt sind, auch mit allem Recht sich hievon noch weitere Früchte versprechen lassen und ich es daher gnädigst gerne sehen werde, wenn Sie den wiederholt erhaltenen Ruf nach Leiden, so wie den Ersten, auf eine höfliche Art ablehnen werden; wogegen Ich Ihnen bis zu einer andern — Ihren Verdiensten angemessenen Beförderung eine Personal-Addition von Zweyhundert Gulden, halb Geld, halb Naturalien, beim Geistl. Gut gnädigst zu verwilligen gedenke, und bereits deshalben das Nöthige an den herzoglichen Kirchen-Rath erlassen habe. Ich versichere Sie zugleich bei dieser Veranlassung von der Fortdauer derjenigen herzoglichen Huld und Gnade, mit welcher Ich allezeit seyn werde, Mein lieber Professor und Ephorus, Ihr wohl affectionirter

Fridrich Eugen.

Attamen eodem fere temporis momento tum quidem reipublicae formae liberaliori utentes Batavi, non segnes in capessendo, cujus jacturam alii facere velle videbantur, cimelio *solemne collati muneris diploma* per Legatum Batavum Basileae commorantem illico ad Schnurrerum transmittere properabant.

Viro

6.

VIRO CLARISSIMO DOCTISSIMO

C. F. SCHNURRER

Linguarum Orientalium in Academia, quae Tubingae est, Professori Celeberrimo

S. P. D.

CURATORES HOLLANDICAE UNIVERSITATIS, *quae Lugduni Batavorum est, eorumque decreto, qui iis a secretis est*

I. J. HUBRECHT.

Quum clarissimum Scheidium nuper morte intempestiva atque inopinata almae huic Matri esse ereptum dolemus, nos pro cura Academiae nobis mandata *rationem, qua haec jactura sarciretur, inivimus, excellentium in hoc genere ingeniorum tanquam censuram egimus, nec deliberatio nos diu tenuit, quin Tu, Vir celeberrime, de cujus eximia doctrina indefessaque diligentia inter omnes, qui judicare possunt, satis constat*, nobis inter primos quasi luxeris, omniumque suffragia propter singularis eruditionis testimonia nobis undique perlata, in Te, utpote huic oneri ferendo inprimis parem, constiterint.

Nos igitur talem existimationem secuti tibi, Vir clarissime, *ordinariam linguarum et antiquitatis Orientalium in universitate nostra Batava professionem ut et Legati Warneriani interpretandi provinciam* deferimus, *constituto annuo 2600 florenorum stipendio*, ne quid dicamus de commodis haud poenitendis, quae ex scholis domesticis, promotionibus aliisque minoris momenti rebus redundant,

Professionem, uti nobis videtur, eo minus a te repudiandam, quo dignior virtus et doctrina tua est, quae in majori veluti theatro spectetur.

Pro expensis denique bonorum Leydam translatorum 1000 florenorum summa tibi persolvetur.

Hae conditiones si tantum apud te valuerint, ut fortunarum tuarum sedem in hac urbe constituas, erit, quod nobis atque Academiae vehementer gratulemur.

Dabam Lugduni Batavorum die 28. Septembris 1795 Anno Libertatis Bataviae primo.

7.

SCHNURRERI Responsum

d. d. 22. Oct. 1795.

Litterae, quas ex decreto *illustr. Collegii*, *Academiam Lugduno-Batavam* administrantis, ad me dedisti, Vir amplissime, redditae mihi sunt paucis abhinc diebus, curante excellent. Dno. de WITT, praepotent. Ordinum Oratore apud rempubl. Helveticam. — Honorificentissimum cum sit gravissimi Collegii de me decretum, mirificum sane gaudium animo illae meo, sed plus tamen pudoris etiam injecerunt, quod tam praeclara ista benevolentia me haud indignum existimare, et quae tribuere mihi visum est, ipse mihi tribuere vix possim. Ex quo alteras clariss. SCHROEDERI litteras accepissem, scriptas ad me a. d. XXVIII Jul. jussu *illustr. Petri van Lelyveld*, causam omnem ad Sereniss. Würtembergiae Ducem retuli, *veniam rogans, quod mei ipsius arbitrii totus haud essem, cum A. Curatorum collegio honeste ac serio paciscendi*; idque a me factum esse, SCHROEDERO significavi

litteris meis a. d. XXVI. Augusti scriptis, quas ipsi redditas fuisse haud rescivi quidem, sed licet tamen opinari. Eventum omnis rei ipsum autem perscripsi *summo vestro Schroedero* litteris a. d. XXVII. Septemb. exaratis, atque, ut certo expeditoque itinere uterentur, Basileam hinc transmisi. Binarum tamen istarum litterarum exemplum aliud visum est hisce meis adjungere, quas in Belgium perferendas curare non detrectabit excellent. *de* Witt.

Nunc igitur reliquum mihi nihil est, nisi hoc, ut Te, Vir consultissime, orem atque obtester, quemadmodum et Schroederum, virum clariss. modis omnibus obtestatus sum, velis gravissimo A. Curatorum collegio et summam meam reverentiam significare et sempiternam animi gratissimi memoriam pro Ipsorum in me tam eximia voluntate, quam videor mihi abstinendo dignius me compensare, quam acceptando. Quod vero Te unum, quam summos illos viros hisce meis litteris compellare malui, fecit non nisi formularum, quibus pro Ipsorum gravitate decenter et commode uti possem, ignorantia. Tu igitur id quaeso age, vir humanissime, ut quem ipse verbis reddere haud valeo, animi mei sensum, Tu meo nomine Proceribus et Tuis et meis describas quam liberalissime. Vale, vir consultissime, et me, si dignus videar, commendatum Tibi habe. *Vale et Tu, Academia Lugduno-Batava! o quam Te semper in animo geram, quam Te colam atque diligam, absens etiam omnis Tuus!*

Dab. Tubingae a. d. XXII Octbr. MDCCLXXXXV.

Ut honestissime, ut decentissime res tota pertractata erat a Viro sibi constante dignitatisque studiosissimo, sic honorificentissime eam a Duce ipso virisque erectioribus, pro dignitate arbitrorum talium humilioribus rationibus superiorum atque pro genuina patriae utilitate definitam

videmus; unde post haec ad summum in Universitate dignitatis gradum, Cancellarii Principalisque Commissarii munus et ordo rerum et justa existimatio seni gravissimo aperuerunt aditum.

Ephoratu Theologici Seminarii per novem et viginti annos defunctus, introduxit in hoc munus d. 21. Augusti 1806 virum, mihi per totum, quo theologiae studiosi Würtembergenses tum temporis praeparabantur, novennium studiis litterarum animoque conjunctissimum semperque inde amicissimum, S. Rev. I. F. GAAB, nunc Praelatum et Superintendentem Generalem, ingenio, eruditione, perspicacia plane eximium.

Finire autem hoc qualecunque memoris ac gratae mentis documentum et elogium etiam mihi liceat verbis veluti mutuo sumtis:

Have, anima praeceptoris ingenui reverenda! Have, mens coelestis! intimoque illo habitu solertiae, honestatis, prudentiae, quem per hanc vitae terrestris experientiam atque exercitationem acquisitum penitius quasi induisti, fruere, nunc eo beatior perennatura.

Havete insimul pii mihique sacri manes praeceptorum, post parentem ipsum de me potissimum bene meritorum, KÜBLERI, STORRII, ROESLERI, quibus nominatim compellatis ceteros etiam grata mente colere nunquam desinam!

Vale vero inter Tuos, et quam diutissime vale, tu, perantiquum et perutile civitatis ecclesiaeque Würtembergicae, immo omnis scientiae decus, nec desiturum non desiturarum ornamentum,

Χαῖρε καὶ ἔρρωσο, tu, *Seminarium Evangelico-Theologicum!* quod et mihi, ut millibus, non victum solum, sed et multo magis optabilia, tempus nimirum largius,

quo quam maxime ad eruditionem liberaliorem, non ad verba magistri ediscendam, opus est, otium, studiis pro impulsu animi electis dicatum, privatarum lectionum optionem ab auctoritate non pendentem, disciplinam, quae nihil fere nisi boni temporis jacturam morumque dissolutionem coërcebat, securam animi tranquillitatem, bibliothecae commodae usum, examina diligentiam cum sagacitate excitantia, publice verba faciendi aciemque mentis disputando exercendi opportunitatem, inprimis vero, id quod dulcissimum erat atque utilissimum, amicos et aequales tam ingenuos, tam multos dedisti, qui sibi invicem vice cotis fungebantur, qui pares inter pares, externa qualibet existimatione prosapiae opumve parum moti, non nisi candorem animi, diligentiam, doctrinam, ingenium magni habere solebant, vitaeque sociali et affabili, quae per omnem aetatem viros populum educaturos ideoque populares decet, nec non sagaci aliorum mentem morumque habitum indagandi peritiae isto in consortio facilius adsuefiebant.

Vale igitur validissime et cum patria non peritura concresce, o perquam salutare *convivendi* Institutum! unde toti ordini ecclesiastico Würtembergiae, inde a non fucata juventute, studiorum conformitate non coacta, adaperta animorum cognitione, quotidianis quasi agapis, conjunctione familiaris usus, omniumque externarum rationum communione consociatio et velut confoederatio innascitur atque inhaeret, reliquam vitam et ipsam ecclesiae ac munerum dignitatem tuitura dulcique amicitiae vinculis et recordatione non oblitteranda ad senectutem ac mortem usque mirum quantum exhilarans.

Valebitis vero auspicatissime, et Tu, litterarum universitas patriae sacra, quae ut petra bene posita, non

movebitur, et Tu, Evangelici Protestantismi solidaeque eruditionis multiplicis sedes indivulsa, dummodo doctoribus, dummodo curatoribus et praepositis gaudebitis Schnurrero quondam nostro virtutum, quibus eminebat, copia, aberrationum raritate, aequiparandis.

Heidelbergae, 20 Jan. 1827.

D. Henr. Eberh. Gottlob Paulus.

AUTOBIOGRAPHICA ORATIUNCULA b. CANCELLARII

de semiseculari magisterii philosophici recordatione solemnia quasi jubilaria celebrantis.

1 8 1 2.

Non potest non maximopere animum meum afficere recordatio ejus rei, cujus abs Te quoque mentio facta pro singulari, quae in Te est, humanitate et erga me benevolentia, *me,* cujus nunc est, veniam largiri magistros legitime renuntiandi, *ante hos quinquaginta annos et ipsum, intra hosce parietes,* eodem propemodum anni tempore, his ipsis ritibus, *magistrum fuisse renuntiatum, nunc semisecularem.*

Equidem haud nescio, fuisse subinde, et esse, qui academicas adpellationes, ut vanas inanesque, contemtim habeant, repudientque earum etiam memoriam, veluti Davides Ruhnkenius, celebratissimus ille litterarum humaniorum professor Lugduni Batavorum, de quo in Vita ejus eleganter scripta haec retulit Daniel Wyttenbach, pag. 262., quae ipsius verbis recitabo: „Adolescens Witebergae creatus erat Philosophiae Doctor et Liberalium Artium Magister: mox in Bataviam delatus, hunc titulum adeo non prae se tulit, ut nemo quisquam resciscerat, eum

illo honore insignitum fuisse. Quinquagesimo deinde anno (1793) more illius academiae solemni, in secularem memoriam impetratae ejusdem dignitatis ante hos quinquaginta annos cum potestate in hac academia primum docendi, Philosophiae Doctor et Liberalium Artium Magister denuo appellatus est: haec est formula editi hoc nomine Programmatis, cujus exemplaria complura cum honorificis litteris ad eum scriptis misit Decanus philosophicae facultatis Frid. Godofredus Augustus Meerheim, vir clarissimus. Hujus item rei notitiam Ruhnkenius nonnisi cum uno aut altero communicavit amico.“

Verum Ruhnkenius non erat immunis a superbia, et a quodam fere fastidio patriae Germaniae, ut qui mallet Batavus haberi quam Theodiscus: apud Batavos autem Magistri non solent creari; nec vero Magister erat ille Tiberius Hemsterhusius, quem assequi, quem omnem aemulari unice studebat Ruhnkenius. Memini, cum anno superioris saeculi sexagesimo octavo Lugduni Batavorum adirem Virum celeberrimum, et Germanus Germanum Germana lingua adpellarem, eum illico negasse se uti posse sermone alio quam Francico, aut si malim Latino. Brevi post cum Trajecti ad Rhenum salutarem Christophorum Saxium, et ipsum Germanum nascendi loco eodem, quo Heyne nuper mortuus, usum, Chemnitio in Saxonia, atque diutius Ruhnkenio inter Batavos jam versatum, huncque vernaculo sermone etiamnum expedite utentem mirarer, significans, cum Ruhnkenio quid mihi acciderit; Ille, indignabundus, non dubitavit asserere, non esse nisi dissimulationem hominis, qui patrium sermonem una cum patria deposuisse videri velit.

Ego vero tantum abest ut Magistrum Tubingensem profiteri me haesitem, ut gloriari etiam lubeat mihi de

honore illo, profecto ex loco, unde, ut fere fit, multi quoque vulgares Magistri renuntiati sunt, at renuntiati etiam PHILIPPUS MELANCHTHON, Germaniae, imo Europae praeceptor, MATTHAEUS LANG, postea Archiepiscopus Salisburgensis et Romanae Ecclesiae Cardinalis, Jo. KEPLER, aliique sane multi, qui maximam, eamque perennem ad omnem posteritatem nominis famam et gloriam sibi paraverunt.

Date hoc mihi, Auditores, ut quae annis abhinc quinquaginta hac in re acta fuerint, commemorem breviter, quae si Vobis videantur minus gravia, vel adeo leviuscula, mihimet certe non possunt non esse commemoratu jucunda.

Quae hodie instituta Solemnia illo anno habita sunt mensis Octobris die decimo nono: nullae enim tum feriae academicae, neque autumnales neque vernales, nonnisi aestivae trium fere septimanarum, peractum semestre novum excipiebat nulla mora interjecta: quod si commune esset omnibus Germaniae litterarum universitatibus, nescis annon praestaret ei, qua nunc utimur, consuetudini.

Scena haec ipsa Aula, tum quoque dicta Nova — quod nova facta esset, prima aede Sapientiae anno millesimo quingentesimo decimo quarto flammis consumta — sed tum duorum cum dimidio saeculorum usu obsoleta, brevi post, quod instaret novum saeculum Scholae celebrandum, eam quam nunc habet formam, si non splendidam, at honestam tamen nec incommodam adepta.

Professores publici, quibus tum gaudebat Tubingensis litterarum universitas, de vita decesserunt — *haud* omnes.

Superstes est, quem nos omnes veneramur Seniorem nostrum vere venerandum, vir perillustris, SIXTUS JACOBUS de KAPFF, egregius de summa republica consiliarius,

qui, auspicatus cum sit professoris publici munus oratione solemni die quinto Junii anni sexagesimi *primi*, poterat superiore anno muneris quinquaginta annos felicissime peracti celebrare memoriam quam honorificentissime. Talis Senior, de re publica et litteraria tam praeclare meritus, carus singulis ob eam, qua eminet, humanitatem cum gravitate conjunctam, ut diutissime superstes maneat, et nullo vitae tempore minus quam hodie valeat, quis sit nostrûm, qui non mecum in votis habeat maximopere?

Philosophici ordinis professores, praeceptores memoria dignissimi, erant Godofr. Ploucquet, Christoph. Frid. Schott, parens Tuus desideratissimus, Jo. Kies, alter Tuus pater, Immanuel Hoffmann, Lud. Jos. Uhland.

Omnes superstites habui, decem interjectis annis factus prof. extraordinarius; cum triennio post in collegium ipse succederem, tres adsecutus sum collegas, quos ut ipse, quod par erat, reverenter colui suspexique, ita et benevolentissimos nunquam non sum expertus. Caeteros vivendo superavit ven. Uhland, usus me Respondente in propugnanda sua dissertatione inaugurali anno sexagesimo primo, postmodum quoque in regenda disciplina stipendii theologici mecum conjunctissimus.

Candidati eramus, praeter quatuor Oppidanos, Stipendiarii viginti septem, inter quos *primus* locus obtigit mihi: qua in re certissimum hoc est, haud quidpiam tributum fuisse nomini, i. e. familiae.

Accidit singulare et perquam memorabile hoc, quod nobiscum una publice et solenniter philosophiae magister renuntiaretur vir gravis et spectatus, juris utriusque Doctor ejusque in hac schola, singulari cum laude, prof. ordinar. Eberhardus Christophorus Canz; postquam brevi ante publico diplomate creatus esset philosophiae magister

alius Juris Doctor et prof. ordinarius, nominis justam celebritatem jam jam nactus, FRID. WILH. TAFINGER, carum mihi, nec mihi soli, nomen.

Intelligitis, isto tempore nequaquam dedignatos fuisse dignitatem, a Philosophorum ordine quae confertur, etiam in maxima existimatione qui essent Juris doctores professoresque.

Verum latebat inter nos candidatos Jureconsultus, magnam brevi posthac celebritatem adsecutus. Multi vestrum facile intelligunt, quod, quem dico, sit illustris noster Jo. CHRISTIAN. de MAIER, qui demum peracto legitime, magnoque cum successu, Theologiae studio, nequaquam taedio vel litterarum generis, vel vitae ad quam illud duceret sortis, captus, sed quod res ipsa id ferret velletque divina providentia, Juris scientiam amplexus, id brevi adsecutus est, ut illius professor publicus, primo Jenae, deinde Kiloniae constitutus, mox in patriam universitatem, TAFINGERI nostri anno septuagesimo septimo mortui successor, evocaretur honorificentissime.

Alius erat in sodalitate nostra, qui sortem vivendi nactus est, quam neque animus praesagiebat tum, neque postea ipse votis expetebat suis, Jo. LUDOV. HOCHSTETTER. Hic, probissimus hominum mihique prae sodalibus caeteris semper carissimus, theologiae se totum omnemque dedit, factusque est, mecum, sed peregrè absente, Repetens stipendii theol., et munus Diaconi Goeppingensis, quod me locum faciente, proximo ipsi contigit, gratum sane ac conveniens, lubens recepit, visus mihi aliisque natus factusque ad vitae genus ecclesiasticum. Sed aliter tulerunt rationes domesticae. Abdicavit se munere vix recepto, patruoque se adjunxit tum Legato regis Borussiae ad Circulum Rhenanum superiorem, huic successor datus et id

dignitatis fastigium adsecutus, ut Liber Baro, regis Borussici Consiliarius intimus et Minister adpellaretur, sedem continuam habuit Praunhemii prope Francofurtum ad Moenum, ubi etiamnunc vitam degit in otio cum dignitate.

Praeter hosce Duumviros, de quibus sane est quod gloriari possit nostra sodalitas, caeteri perstiterunt in suscepto vitae genere, alii alia sorte rerum et vivendi aetate usi.

Decanus nobis obtigit, quo exoptatior obtingere poterat nullus, JOHANNES KIES, Physices et Mathematices professor, vir benevolus atque hilaritate jucundus, qui mihi, discipulo, se propensum, et postmodum, collegae, amicum nullo non tempore praebuit. *Programmate edito Eclipsin Solis in morte Jesu Christi Servatoris totalem, probavit contigisse praeter naturae ordinem.*

Oratione publica aliud, cum ipsius morte conjunctum, miraculum exposuit, *motum terrae.* Ego, recens Magister, verba feci *de terrae motibus universe ad Electricae materiae vim referendis:* ita enim mos ferebat istius aetatis, morae quam nostra patientioris, ut qui sodalium omnium nomine gratias publice profiteretur, non tantum verba faceret, sed et argumentum a studiis haud alienum sumeret sibi pertractandum: et ego, Candidatus, tum maxime delectabar studio philosophiae naturalis, h. e. disciplinae physicae et mathematicae, quod sensim omne deposui ad sacras litteras colendas progressus.

Nuper cognitum est ex commentariis litterariis Lipsiensibus,*) celeb. BECKIUM Lipsiensem in Programmate, ad indicendam annuam Magistrorum renuntiationem solemnem edito die decimo quarto februarii, hoc commemoratu dignum habuisse, ante annos quinquaginta Lipsiae

*) Leipziger Literatur-Zeitung 1812. Mai Num. 120.

creatos fuisse magistros quindecim, et superstitem esse de illis Unum, cujus celebrari possit jubilaeum, Magistrum BRUNNER, poëtae sui temporis celebratissimi, GELLERT, olim famulum; quod vero ipse mox publice in iisdem commentariis recusavit, negans, famuli partes se egisse, et alium quendam nominatim significans, quem etiam mihi penes GELLERTUM saepius visum esse bene memini. Ad *hoc* comparatum Sodalitium *nostrum* sane non habet quod secum inique actum esse conqueratur. Superstites enim sunt cum illustri nostro MAIERO, et cum perillustri etiam nostro HOCHSTETTERO, praeter me, alii etiam quatuor, HARDTE, HELLER, KOLLER, WOLFF, Pastores bene meriti, necdum emeriti, officio necdum prorsus impares, quibus meis sodalibus bene velit Deus!

Singulare hoc accidit, quod de una eademque classe — Promotionem vulgo dicimus — uno eodemque loco continentur *duo*, iique ambo ejusdem scholae professores. At non *meae* id proprium, sed, quod sane majus est, commune ei, quae meam lustro antecessit. Superstites habemus, Dei optimi beneficio, duumviros praeclarissime de re nostra promeritos, nobis omnibus venerabiles, ROESLERUM et PFLEIDERERUM, utrumque jam quinquennio abhinc semisecularem Magistrum; non superstites modo sunt, sed corporis animique viribus integri, munerum officiis omnibus pares, juvenes inter senes. Equidem cum justo tempore opportunitatem elabi mihi passus sim inter multiplices turbationes domesticas, hodie, Collegae optimi conjunctissimique, locum date gratulationi meae publicae, votisque meis ex intimo animo redundantibus pro vestra salute atque incolumitate, velit Deus O. M. vos diutius superstites esse, senectute frui placida, leni, commoda, ut sero demum discedatis, omnibus qui supersint, desideratissimi.

I.

De

PHILIPPI MELANCHTHONIS

REBUS TUBINGENSIBUS.

ORATIO

HABITA A DECANO FACULTATIS PHILOSOPHICAE, MAGISTROS PHILOSOPHIAE CREATURO.

1797.

ALMAE EBERHARDINAE CAROLINAE

MAGNIFICE DOMINE

R E C T O R,

Viri summe reverendi (perillustris), consultissimi, experientissimi, excellentissimi,

Hospites atque auditores omnium ordinum honoratissimi.

Annus, quem agimus, cum aliis rebus multis, tum pace etiam, inchoata tamen, faxit numen O. M. etiam perfecta stabilitaque memorabilis, reducit nobis etiam memoriam trisecularem PHIL. MELANCHTHONIS, olim Nostri, quem novimus in lucem editum esse Brettae 16 Febr. 1497. Et quum anno nostri seculi sexagesimo haud plane alienum a se putaverit schola haec Tubingensis, immortalis viri memoriam recolere, editisque etiam scriptis nonnullis commendare, quod *mortis* recordationem reduceret ille annus; sane nefas videri possit, *natalem* eximii optimique viri, qui nunquam non honorifice de Tubinga senserit et peramanter, dimittere silentio, et quam magna Illius pars ad *nos* pertineat, vel ignorare vel turpiter dissimulare. Visum igitur est, sermonem, eumque si non rerum gravitate, brevitatis tamen modestia se commendantem, instituere *de Phil. Melanchthonis rebus Tubingensibus.*

Tubingam literarum causa venit PHIL. MELANCHTHON anno seculi decimi sexti *duodecimo*, et inter scholasticos cives nomen suum professus est a. d. 7 Septembr. Venit autem ex schola Heidelbergensi, ubi jus civitatis obtinuerat mense Octobre 1509., et mox, mense Junio 1511 primam quoque lauream, baccalaureatum vocant, adeptus est, natus annos ferme quatuordecim. Itaque a collegio artium *Tubingensi* receptus est in consortium baccalaureorum suorum XI Decembris ejusdem, quo huc accesserat, anni, locumque obtinuit ante baccalaureos in promotione Cinerum factos; eo enim tempore quaternis per annum vicibus baccalaurei solebant pronuntiari, singulis puta angariis, Cinerum, Pentecostes, Crucis, Luciæ. Summos in philosophia honores et magistri titulum consecutus a. d. XXV Januar. anno 1514, primo loco constitutus ante decem alios sodales, quorum nullus postea aliquam nominis celebritatem adeptus unquam est. Postquam titulum Magistri bonarum artium jure suo in se recepisset, quo per omnem vitam solo et constanter usum ipsum et ab aliis compellatum esse constat, mox etiam iisdem tradendis docendisque est adhibitus. Quod tamen non eo sensu dictum velim, ut putes, eum statim publici professoris dignitatem adeptum atque ad gubernandam rem scholasticam in senatum academicum receptum fuisse; sed in contubernio, cui Bursae nomen, erat mansitque adhuc, scholas habebat privatas, *latinas* maxime. Itaque Virgilium interpretatus est, deinde et Terentium. Posthac oratoria lectione ipsi demandata, Ciceronis opera quaedam juventuti proposuit, deinde etiam Livii libros sex absolvit.

Verum, ipse doctor, pro more istius aetatis nunquam abstinuit a frequentandis aliorum doctorum praelectionibus.

Et primo quidem biennio in linguis artibusque tractandis consumto, praeter HENRICUM BEBELIUM et JOANNEM BRASSICANUM praeceptores habuerat FRANCISCUM STADIANUM, quem et coluit et dilexit inprimis, et Jo. STOFFLERUM mathematicum, quem triennio diligenter audivit. Ad sublimiora studia (facultates dicunt superiores) progressus, ad *Theologiae* studium maxime, ferebatur Philippus et suo ipsius sensu, quod religiosae pietatis amore flagraret, et matris etiam viduae voluntate; patrem enim puer decennis amiserat. Theologiam tum profitebantur hic JAC. LEMP, Steinhemii ad Murrham natus; MART. PLANTSCH Dornstettensis et PETRUS BRAUN oriundus Kirchhemio ad Nicrum. Praecipuus habebatur LEMPIUS ille, maximae tunc famae atque auctoritatis theologus, postmodum autem, exortis ecclesiasticis dissidiis contentionibusque, mire exagitatus a puriorum sacrorum studiosis. Estque hic ille, in quem extat MELANCHTHONIS ludibriosum dictum hoc: „Habebamus Tubingae doctorem Theologiae virum „senem, qui pingebat nobis transsubstantiationem. Si tan„tum adpinxisset aures asininas, recte fecisset."

Theologiae tum materia, ut nostis, non sacrae litterae et scripturae divinae erant, sed quaedam obscurae et spinosae intricataeque quaestiones. Philippus autem, quanquam illo etiam in genere, tenui et aspero, nulli non modo qui pari aetate esset, sed ex provectioribus quoque cederet, mox tamen coepit veritatem quaerere et amplecti. Animadvertebatur librum habere in manibus in templo et inter operationem sacrorum. Cum *grandior* quibusdam videretur liber illis, quibus precum formulae continentur. quique more in templis solebant usurpari, malevoli quidam rumusculos sparserunt, legere Philippum nescio quae scripta, tempori et loco illi non convenientia.

At ille nactus fuerat sacrorum bibliorum codicem, paulo ante primum a Frobenio Basileae impressum, quibus legendis quam tunc adeo coepit, eam constantissime dare operam in tota sua vita perseveravit, et talem librum ad omnes conventus publicos postea detulit secumque semper habuit. Sed qui plane singularis in juvene erat et ingenii vigor et ardor discendi, eum impulit, ut nullarum rerum cognitionem non attingendam atque comprehendendam putaret. Itaque non theologos tantum, sed et juris consultos etiam et medicos audivit, et libros omnium professionum illarum inspiciens, undique quandam scientiae quasi possessionem occupavit. Praeter GEORG. SIMLERUM, jura nunc profitentem, quo antea magistro in ludo Pforzheimensi usus fuerat, praecipue solebat laudare GEORG. LAMPARTERUM et EBINGERUM aliquem, de quo referebat alios doctores dixisse: Non possumus *omnes* doctrina aequare EBINGERUM. Medicae quoque artis professores audivit studiose, et Galeni libros cum propter linguam et methodum, tum propter rerum cognitionem ita legit, ut sententiam auctoris sit consecutus et pleraque potuerit memoriter recitare. Praeter mentis enim aciem et judicii dexteritatem etiam memoria in illo erat admiranda, ut meminerit omnium, quae vel legisset unquam vel audivisset, ut tempus etiam, locum, personam, ut nomina quoque, versus, sententias haberet in promptu.

Praeterea usus est doctrina et institutione, certe familiaritate et consilio JOANNIS REUCHLINI, quem materna cognatione conjunctum habebat sibique amicissimum. Hunc, Stuttgartiae degentem, frequenter accessit. Et quod ille tunc luctaretur cum monachis, a quibus propter sententiam dictam de libris judaicis gravissime vexabatur, assidue et fideliter illi praesto fuit MELANCHTHON, de-

scribendo potissimum ea, quibus defensio causae continebatur, et quae ad judicium mittenda essent. Neque Philippus tantum ad REUCHLINUM Stuttgardiam crebro accedere, sed REUCHLINUS quoque ipse saepe venire Tubingam ad Philippum, et cum eo in scholastico contubernio versari atque cibum capere, et de communibus studiis et liberali institutione confabulari. Et quanquam REUCHLINUS non esset litteris elegantioribus penitus excultus, doctissimum tamen virum et liberalium disciplinarum cupidissimum fuisse eum constat. Habebat vero etiam bibliothecam praestantissimam, veterum quoque auctorum scriptis probe instructam, unde permultum fructum percepisse MELANCHTHONEM, non est quod dubitemus.

Enim vero etiamsi professoribus Tubingensibus non nihil deberet, plus etiam REUCHLINO, plurimum tamen debebat ingenio, quod a natura nactus erat, praestantissimo ac fere mirifico. Ad ingenii vim aciemque judicii accessit industria tanta, quae *modum* adeo videretur excedere. Extant litterae BILIBALDI PIRCKHEIMERI, magni suae aetatis viri, quibus MELANCHTHONI, Tubingae adhuc versanti, qui sponte illum primus salutasset misso etiam carmine graeco, respondit, haec praeter alia scribens: „ita habe, „te propter studium, eruditionem et proprias animi dotes „mihi carissimum esse. — Non igitur solum in amicorum, „ut petis, grege dehinc connumeraberis, sed inter potissi-„mos et principes ipsos jam dudum collocatus es. Et ut „certius, quanti te faciam, cognoscere possis, etiam de sa-„lute tua nonnunquam sollicitus esse cogor. Audio enim „te in studiis neque modi neque temporis rationem ha-„bere, id quam periculosum sit, jam pridem cum ma-„xim obonae valetudinis detrimento expertus sum.“

Itaque factum est, ut brevi omnium oculos in se con-

verteret, cum, discipulusne an doctor ac professor prius esset, merito quis dubitaverit. Mox etiam scriptis editis magis coepit inclarescere.

Habebat THOMAS ANSHELMUS Badensis non Haganoae tantum sed et Tubingae officinam typographicam; huic praefuit aliquamdiu Philippus, ut, quae excuderentur, correctiora prodirent. Grande illud volumen, NAUCLERI *Chronicon* dictum, quod prodiit mense Martio anni 1516., plurimum debet curae et diligentiae MELANCHTHONIS, qui multa, quae corrupta essent, emendavit, supervacua praecidit, multa complevit, disjuncta in ordinem redegit, obscure dicta declaravit, effecitque, ut liber postea quam plurimos nancisceretur lectores.

Deinde etiam, suo ipsius nomine praefixo, MELANCHTHON complura edidit Tubingae; sunt vero haec rara nunc omnia nec admodum nota paucissimisque visa.

I. *Dialogus mythologicus Bartholomaei Coloniensis*, dulcibus jocis, jucundis salibus concinnisque sententiis refertus atque diligenter elaboratus. Hagenoae apud Th. ANSHELMUM mense Novembri 1516. 4. *) Praefixa est huic editioni MELANCHTHONIS epistola seu praefatio ad studiosos adolescentulos, cujus initium hoc est: „Venit in „manus nostras fabula haec, et lepida et elegans, quam cum „obiter perlegissem, ne deesset studiis vestris, optimi ado-„lescentes, statim chalcographis commendavi, quod juven-„tuti commodissima videretur.“

*) „Neues Repertorium von seltenen Büchern und Schriften. „1. Stück. Nürnberg 1795. 8. S. 79. Bartholomaei Coloni-„ensis dialogus mythologicus ad Pancratium cum praef. „Phil. Schwarzerd. Cracov. 1516. 4. Janozki II.

II. *Osci et Volsci, dialogus ludis Romanis actus* (1517.) 4.

Libellus inscriptus est „illustri Dno *Hermanno Comiti novae aquilae* (H. e. Nuenar), Ecclesiae Metropolitanae Coloniensis, et Cathedralis Leodiensis Canonico, Archiepiscopi Coloniensis legato; quem his verbis compellat MELANCHTHON:

„En Romanam illam de loquendi consuetudine verbisque deligendis, Princeps, lepidam certe ac festivam disceptationem, quod nuper in Germaniam reversus JOANNI REUCHLIN, consanguineo nostro munus, *δόσιν ὀλίγην τε φίλην τε* dedisti. Libellum is et benevolentiae in se tuae ac singularis studii, et gratitudinis suae planeque officii testimonio nobis excudendum tradidit, quem celeberrimi nominis tui argumento litterarum studiosi communem amplecterentur."

III. *De artibus liberalibus oratio* a. PHIL. MELANCHTHONE Tubingae habita — edita mense Julio (1517.) 4.

Dicata est „egregia virtute viro JOANNI STOFFLER Justingensi Mathematum professori." Lubet ex MELANCHTHONIS ad eundem epistola haec referre:

„Quae te non decent omnium insignia laudum, qui tot annos, tanto studio mathematum abstrusa recludis, qui tanto studiosos omneis atque adeo me favore complecti, eoque ceu stimulo ad gloriam excitare soles! Id quod sensi tacitus, cum interpretandi Arati *) munere nos onerares. Nihil ardentius, nihil majore voluptate unquam coepi, et spero, rem casuram non infeliciter, modo tu adspires porro. Vertimus aliquantum operis latino carmine,

*) Neues Repertorium I Stück habet p. 62 an, Arati Phaenomena cum praefat. Phil. Melanchth. Witteb. 1521. 8.

neque vero quo veteres modo, qui imitati potius quam interpretati videntur. Tu interim, dum illud absolutum fuerit, hanc habe oratiunculam officiosi animi testem" —

Verum haec levia videri possint et tenuia. Sed adsunt alia graviora certe pro ratione aetatis, ac adeo miranda.

IV. *Publii Terentii comoedias edidit Melanchthon, vix annos undeviginti natus.* Prodiit editio Tubingae mense Martio 1516. 4. Frons libri haec refert: „Ad lectorem. Quisquis es, cui romani sermonis elegantia est cordi, hortamur, in Terentii fabulas animis incumbito. Usus esto librorum, qui nostris formulis excusi spectantur. Hi si studiis intercesserint, frugem tibi, THOMAE ANSHELMO gratiam, utrisque laudem pariunto. Id meretur labos, qui vel nobis quantus fuerit, non praedico. *Αὐτὸ δείξει*: Modo lector faveto, emito, versato. Tibi musae Terentii comoediam dicarunt."

Praefatio ad PAULUM GENAEANDRUM Salisburgensem exponit de ortu ac progressu comoediae apud veteres Graecos Latinosque. Praefationem excipiunt praecepta, et quasi prolegomena, de comoedia universe. Quamnam e prioribus editionibus praecipue secuta sit haec Tubingensis, alii dispiciant. Praecipua ejus laus in hoc posita est, quod orationem, quam codices et antiquissimae editiones absque versuum distinctione exhibent, metro numerisque restituit MELANCHTHON, et ad singulos actus, quale versuum genus sit, adnotavit.

V. Quinto loco comparent *Institutiones graecae grammaticae.* 4. Emissus est hic liber anno decimo octavo, mense Majo, Hagenoae, quo, dum excuderetur, auctor ipse aliquamdiu concesserat ad editionem curandam. Quam plurimum hanc grammaticam graecarum studium

litterarum in Germania juvisse ac promovisse, ex eo intelliges, quod biennio vix elapso, quamquam et *Oecolampadii graecae litteraturae dragmata* nunc extarent, nova ejusdem editio paranda esset. Novae editioni novam quoque praefationem praemisit auctor, qua modestissime de sua opera statuit his verbis:

„Semper optavi, libellos, quos de ratione graecae grammaticae quondam edidi, perire, quippe quos conscripsimus et pueri fere et pueris, quos illo tempore privatim docebamus. Et periissent illi quidem, ut digni erant, nisi me denuo ineptire coëgisset Chalcotypus et veteres ruinas instaurare" — Atqui haec ipsa editio saepissime et quotannis fere repetita principatum obtinuit in scholis per integrum ferme seculum.

Tam eminens et secundum cum esset MELANCHTHONIS ingenium, ut ipse Erasmus jam anno 1515 publice de eo pronuntiaret sic: „At Deum immortalem, quam non spem de se praebet admodum etiam adolescens ac puer paene, PHIL. MELANCHTHON, utraque litteratura paene ex aequo suspiciendus! quod inventionis acumen! quae sermonis puritas et elegantia! quanta reconditarum rerum memoria! quam varia lectio! quam verecundiae, regiaeque prorsus indolis festivitas!" — mirum sane videri debet nemini, Melanchthonem, quamquam adolescentem, expetitum fuisse ab Ingolstadiensibus, nullo tamen eventu.

At qui Ingolstadiensibus eum negasset, REUCHLINUS haud animo praesagiens, semet ipsum brevi Ingolstadium esse migraturum, sponte eundem obtulit commendavitque *Friderico Saxoni Electori*, quaerenti ex REUCHLINO per litteras, essetne aliquis, quem recenti suae Academiae Wittebergensi adjungere posset, ad graecas ibi litteras tradendas. Extant litterae REUCHLINI Stuttgardiae in vi-

giliis Jacobi 1518 scriptae Tubingam ad MELANCHTHONEM, quibus Philippum suum, quem amantissime dicit *suum opus suumque solatium*, urget ad suscipiendam, quae oblata esset, conditionem, his quoque verbis usus: *Non est acceptus propheta in patria sua.* Theologi scilicet et Legistae Tubingenses, qui plurimum valerent in gubernanda hac schola, parum curasse videntur et doctrinam MELANCHTHONIS et litterarum, in quibus emineret, genus.

SIMMORUS tamen, discedente Tubinga Philippo, suo quondam in ludo Pforzhemiensi discipulo, dixisse fertur: deplorandum esse toti civitati ejus abitum, et subjecisse: quotquot ibi essent docti homines, non esse tam doctos, ut intelligerent, quanta esset doctrina ejus, qui inde evocatus discederet. — Discessit vero Tubinga MELANCHTHON mense Augusto, et postquam eques eo itinere transiisset Norimbergam Lipsiamque, salvus pervenit Wittebergam die Augusti vicesimo quinto; ubi habitâ, quarto post adventum die, oratione solemni, celeriter consecutus est favorem et admirationem omnium, brevique effecit, ut mirabiliter inciperet academia celebrari et frequentari.

Posthac quidem, facta sacrorum rerumque omnium conversione in Würtembergia 1534., mox expetitus est MELANCHTHON ad ordinandam rem sacram litterariamque. Scripserunt ad eum ex Stuttgardia *Cancellarius* et ERH. SNEPFIUS nomine principis, ut voluntatem ipsius explorarent; eumque amantissimis litteris revocarunt in patriam. Sed negavit Elector Saxoniae, litteris ad ULRICUM DUCEM ex oppido Fulda scriptis, carere posse suam academiam tali doctore, cui maximam frequentiae suae partem debeat; et MELANCHTHON ipse, etiamsi tum nonnihil pertaesus Wittebergae, noluit annuere, quod mallet vocationem in Britanniam, de qua tum agebatur, amplecti.

Proximo tamen anno *) consilium cepit Melanchthon videndi patriam atque etiam Tubingam. Praemisit honestissimum suum famulum Joh. Koch, et ipsum Würtembergensem, Ilsfeldae natum, qui de rebus omnibus et dispiceret ipse, et Joachimum Camerarium maxime praesens consuleret, ut redux certissime ad eum referre posset. Ipse Melanchthon ob multiplicem moram anno demum 1536. iter ingressus, cum *Mylichio*, collega conjunctissimo, Friburgum Brisgoicum, ubi natus erat, adituro, per Francofurtum et Brettam pervenit Tubingam die 24. Septembris. Venit autem nequaquam vel revocatus vel missus, sed venit animi causa, privato consilio, maxime ut videret conjunctissimum desideratissimumque amicum, Joach. Camerarium, cujus etiam unius hospitio et quotidiano sermone usus hic est per tres septimanas.

Pergratus quidem fuit Melanchthonis adventus non Tubingae tantum, sed etiam Stuttgartiae atque adeo ipsi principi, quod videretur spem facere recuperandi eximii viri, et perpetuo servandi. Et significavit etiam Princeps clementer suam voluntatem. Sed aperte confessus est Melanchthon consilium suum scribens ad Erh. Snepfium, malle se quidem Tubingae apud Joachimum suum quam alibi vivere, sed non videre, quomodo possit avelli ab iis, quibuscum hactenus sit versatus. Ceterum lubenter adhiberi se passus est ad juvandam et informandam consiliis suis monitionibusque rem nostram scholasticam.

Profectus deinde abhinc Idibus Octobris Nurtingae haesit per aliquot dies apud Principem, cum aula tunc ibi versantem, qui clementissime eum habuit et munifice centum aureis donatum dimisit, postquam illi et novam ordinationem scholasticam, ab Senatu academico proposi-

*) 1535.

tam, commendasset, et jussus a principe litteras ad Jo. BRENTIUM exarasset, quibus eum ad suscipiendum doctoris munus in schola Tubingensi invitaret; quod quidem eventum habuit hunc, ut pro unius anni spatio Tubingae se nunc concederet BRENTIUS. MELANCHTHON autem Goeppingam pergens atque Elwangam, postquam Norimbergae nonnihil morae fecisset, salvus pervenit Wittebergam. Brevi post cum Smalcaldiae conventus ageretur, praesente etiam ULRICO DUCE, una cum BALTHASARE GÜLTLINGIO, administro primario, theologisque suis SNEPFIO, BLAURERO, GRAETERO, iterum sedulo actum est a nostris, ut persuaderent MELANCHTHONI, Tubingae domicilium sedemque doctrinae suae constituere.

Sed recusavit ille conditionem oblatam, non quod Tubinga ipsi displiceret, sed quod et principis ingenio non plane fideret et haud ignoraret, in aula Würtembergica diversa esse religionis studia.

Nec magis successit negotium, cum denuo, sub annum 1545 illum vocaret dux Würtembergensis, epistola sua ipsius manu ad eum perscripta, quamquam CAMERARIUS etiam eodem tempore repetitus est Lipsia. Enimvero neuter annuit: neque enim visum erat Deo, clarissima haec lumina pristino loco restituere.

Atque haec fere sunt, quae dicenda habui de rebus PHIL. MELANCHTHONIS Tubingensibus. Nunc ad illud licet accedere, cujus causa haec solemnitas instituta est etc.

II.

De

WITTEBERGENSI LITTERARUM UNIVERSITATE, UT COLONIA TUBINGENSI.

O R A T I O

HABITA A DECANO FACULTATIS PHILOSOPHICAE.

1 8 0 2.

Wittebergensem litterarum universitatem novimus in eo nunc esse, ut seculare festum suum idque tertium celebret. Etenim initium habuit seculi decimi sexti anno secundo Octobris die decimo octavo Lucae sacro, auctore *Friderico III, Electore et Duce Saxoniae, cui Sapientis nomen obtigit;* suadente potissimum atque urgente MARTINO POLLICH Mellerstadiensi, qui permultum valebat apud principem, ob fidem et artem dudum comprobatam. Nam cum anno millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio peregrinationem religionis ergo in Palaestinam cum avunculo, duce Bavariae, suscepisset Fridericus, comitem sibi Pollichium adjunxit. Hic cum in insula Rhodo principes post hausta liberius Cretensia vina balneas ingressi essent, idque Pollichius rescisset, ipse non vocatus ingreditur, atque e balneis Fridericum sua manu apprehensum educit, Christophoro paucis diebus post febri ardenti extincto. Hujus beneficii recordatione Fridericus toto vitae tempore Pollichium ardentius dilexit et velut vitae servatorem veneratus est.*) Lipsiae artis medicae doctor cum esset Pollichius, orta est ibi disputatio**) de morbo s. malo Francico, ut tum dicebatur, essetne *ἐπιδήμιον*, an *ἔνδημον*. Et dissensio inter Pollichium et collegas, in quibus eminuit Simon Pistoris, tam vehemens facta, ut hic ad Electorem Brandeburgensem Joachimum secederet auctorque esset instituendae Academiae Francofurti ad Viadrum, ille

*) V. Adami p. 7. **) Suevus p. 256.

Friderico totum se committeret et auctor esset condendae scholae Wittebergensis. Quapropter fuit medicus aliquis haud incelebris, qui publice affirmaret, luem veneream esse, quae effecerit, ut duae in Germania academiae ortae sint, atque adeo ut sacrorum emendatio permagnae humani generis parti saluberrima locum habere potuerit. Repetiitque dictum hoc ingeniosum, acutum, si Dîs placet, theologus magnae auctoritatis. *)

At de hoc quomodocunque statueris, illud haud incertum est, immensi beneficii loco habendum esse ortum scholae Wittebergensis, cum brevi fructum illa tulerit sibi proprium ac peculiarem, emendationem sacrorum. Hanc si spectaveris, omnino ipsa inter omnes principatum tenet, digna sane, quam omnes aliae, quae beneficio ab ipsa profecto fruuntur, suspiciant, salvam perpetuamque esse velint et nunc maxime festum natale celebraturam gratulantes benevolentia atque officio prosequantur.

Sed praeter communem illam, quae omnes aeque ad societatem laetandi et bene precandi invitat, causam Tubingensis schola habet etiam peculiarem aliquam sibique privam, positam in singulari aliqua, quae inter utramque intercedit, conjunctione et quasi cognatione. Minus illam cognitam, certe minus, quam par est, celebratam esse, est omnino quod mireris. Novimus, nostro Jubilaeo tertio — cui qui interfuerint, pauciores jam supersunt — quae gesta sint et dicta, in lucem edita extare: hoc igitur volumen si consulas, ne vestigium quidem rei deprehendes. Sed nec de altero, et de primo jubilaeo, quae edita extant, commemorant quidpiam. Nec minus altum silentium

*) Henke allg. Gesch. der chr. Kirche. 3 Th. (III. Aufl.) 1799. p. 36.

est in Wittebergensibus actis scriptisve, centum abhinc annis editis.

Dicam vero, quod res est: *Wittebergensis schola* non modo ad Tubingensis exemplum conformata est, sed et, qui docendi munere fungerentur, haud paucos hinc nacta, ut dici haberique possit *Colonia Tubingensis*.

Hoc est, quod brevi oratione declarabimus.

Et primo quidem *Tubingensis* scholae *formam* maxime imitatam esse Wittebergensem, sane nequaquam mirabitur, qui cognitum habet, in *nova* academia instituenda permagnas partes fuisse JOH. STAUPITII, viri ob suam postmodum in Mart. Lutherum benevolentiam singularem cum primis clari. Staupitius autem proximos annos transegerat *Tubingae in Coenobio Augustiniano*, quod nunc est stipendium theologicum. Accesserat huc 1497. mense Majo, jam tum artium magister et sacrae theologiae lector, factus Tuwingensis Conventus Prior, h. e. moderator. Extat ejusdem opusculum, Tubingae excusum ac editum, quod inscriptum est: Decisio quaestionis de audientia missae in parochiali ecclesia, dominicis et festivis diebus. 4. Sacrae theologiae magister seu doctor solemniter hic renuntiatus est mense Julio a. 1500. Tubingâ Wittebergam migravit Staupitius, ut ibi ex ordine constitueret coenobium Augustianum, recens, brevi post Lutheri nomine maximam omnium famam adeptum. In nova autem litterarum schola *primus* ipse constitutus est ordinis theologici decanus, nunc etiam ordinis Augustiniani per omnem Germaniam Vicarius s. Provincialis. Tanta cum fuerit auctoritas viri primarii inter suos, qui cum nomen suum in novas tabulas academicas inferret, *Tuwingensem* doctorem sese professus est, facile accidit, ut maxime in

iis rebus, quae ad formam et gubernationem spectarent, multa constituerentur ad imitationem scholae Tubingensis.

Qui publico docendi munere fungerentur, omnes erant Canonici ecclesiae collegiatae ad arcem; artistarum collegium infimo loco positum, nec nisi decanus cum duobus aliis ad concilium admissi; rectoratus semestris, adstrictus ad diem Lucae atque ad diem Philippi et Jacobi; singulis facultatibus patronus nuncupatus, juridicae, s. Yvo, philosophicae s. Catharina. Et quae sunt hujus generis alia.

— facies non omnibus una
Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum.

Eundem vero Staupitium operam quoque suam praestitisse in arcessendis Tubinga viris ad docendum idoneis, conspicuum testem habemus ipsum MELANCHTHONEM, dignum omnino fide. Verba ejus sunt haec: „Cum illustrissimus dux Saxoniae Elector Fridericus decrevisset academiam in hoc oppido (Wittebergae) constituere, et laudarentur studia academiae Tubingensis, voluit hanc suam scholam" *Coloniam* „esse harum duarum, *Lipsicae et Tubingensis*, ac mandata dedit STAUPITIO, ut ex Tubinga lectores aliquot juris et doctrinae ecclesiasticae et philosophiae adduceret."

Adducti igitur sunt duo lectores philosophici, M. SIGISMUNDUS EPP, Boennigheimensis, monachus Augustinianus, et M. DIONYSIUS BICKEL, Wilensis (e pago *Weil im Schönbuch*). Ille Tubingensis magister renuntiatus anno 1494, nunc Wittebergae primus ordinis philosophici decanus constitutus, primos ibi creavit magistros quatuordecim, festo purificationis Mariae anno 1503. Hic, secundus Decanus, magistros renuntiavit duodecim festo Jacobi ejusdem anni. Uterque jam Tubingae factus Baccalau-

reus,

reus, primo Biblicus (admissus ad lecturam biblicam), deinde Sententiarius (admissus ad lectionem libri I. et II. Magistri sententiarum) Wittebergae anno 1503. 10. Martii, moderante Joh. Staupitio, admissus est ad Formaturam, seu lecturam libri III. et IV. sententiarum Lombardi. Sed ad *licentiam* theologiae neutrum video progressum. Nec diuturnum videtur fuisse utriusque munus scholasticum: certe in tabula lectionum anni 1507, quae superest, ambo desiderantur. M. Sigismundus alicubi dicitur ordinis provincialis factus esse, M. Dionysius dicitur consenuisse in monasterio Hirsaugiensi.

Jo. Mantel, Augustinianus ex hac nostra schola in Wittebergensem vocatus est ad docendum in facultate *theologica.* Accessit huc anno 1495 in monasterium Augustinianum, et quod Ingolstadii primum gradum nactus esset, proximo statim anno hic secundum est consecutus. Utebatur vero hic maxime doctrina *Pauli Scriptoris*, in coenobio Minoritarum tum Guardiani, viri doctissimi probissimique. Hic suo Marte artes liberales didicerat omnes, ut eas quoque praelegeret doctioribus de universitate, quibus erat miraculo ob ingenium. Erat acutissimus Scotista. Habebat quotidie auditores non solum ex secularibus magistris multos, sed et totius monasterii Augustiniani fratres docti, quibus Staupitius praeerat, quotidie veniebant ad audiendum Scotum a Paulo, cujus etiam lecturae in Sententias isto tempore hic in publicam lucem editae sunt. Quo anno Mantelius Wittebergam hinc evocatus fuerit, haud constat; certum est hoc: anno 1506 ibi ad Formaturam, seu tertium gradum baccalaureatus theologici, et mox ad quartum seu licentiam theologiae admissus est, et anno 1507 inter quinque, qui essent „in sacra theologia ordinarii et extraordinarii conducti," postremum locum

obtinebat *D. Jo. Mantel, sacre pagine magister, ordinis hemeritarum. Dignus omnino est, cujus memoria nobis sacra esse debeat. Etenim primus ipse ausus est anno* 1523 *Stuttgardiae in publicis concionibus purioris doctrinae, quae ex Wittebergensi Augustinianorum coenobio emanavit, commendare praecepta*: quapropter multum vexatus et multa inique perpessus, evasit tamen, et tandem in Helvetia sedem nactus exspiravit anno 1530.

Alius, quem vindicare nobis possimus, est CUNRADUS KOENIG, Stuttgardiensis. Conspicitur hic in indice legentium in artibus, et quidem Scotistae. Anno 1509. Decanus ipse Magistros renuntiavit. Et anno 1510 die Phil. et Jacobi Rectoris dignitatem consecutus est idem, artium et utriusque juris Doctor salariatus, in quarto Decretalium extraordinarie legens, anno 1511. (Suevus Ff. p. 225.)

Et juridicus quidem novae scholae ordo plurimum debebat Tubingae. Erant ab initio juris professores non nisi duo. WOLFGANGUS STEHELIN et AMBROSIUS VOLLAND; ad hos anno 1503 accessit primo VINCENTIUS RAVENNAS, Italus, deinde HIERONYMUS SCHURFF. Hi omnes, praeter Ravennatem, Tubingenses. Wolfgang STEHELIN, Rottenburgensis ad Neccarum, Ergenzingae natus, hic anno 1490 Baccalaureus, et biennio post Magister renuntiatus, decanatum philosophicum gessit 1498. Wittebergam cum peteret, erat quoque utriusque juris doctor, ibique factus est juridicae facultatis primus decanus, et in canonico jure ordinarius. Brevi factum est, ut haud mediocrem ille auctoritatem famamque nominis consequeretur. Extat edita 1507 Christophori SCHEURLII, jurium professoris, oratio rectoralis; huic insunt verba haec: Nescio quo verborum praeconio gratias sim acturus Wolfgango STEHELIN, I. U. Doctori celeberrimo, universitatis primo ordinario, juris-

consultorum principi, cujus excellens eruditio nobis omnibus magnum affert splendorem, ducali consiliario et compatri observando. — Permansit STEHELINUS in sua statione annos propemodum viginti, poteratque spectator esse pompae illius, a Luthero paratae, ad corpus juris pontificii flammis abolendum. Sed anno circiter 1521 misso vitae genere scholastico locum obtinuit apud Henricum, Georgii fratrem, ducem Saxoniae, sedem suam Freybergae habentem, constitutus Cancellarius, h. e. rerum civilium administer, conditionibus nequaquam iniquis (extat enim pacti formula), quibus integrum esset, et civitati Freybergensi pro condicto stipendio consiliis adesse, et privatas quoque causas suscipere. Refert Jo. AGRICOLA in proverbiorum farragine, anno 1528 primum edita, jureconsultum aliquem, sibi bene notum, D. Wolfgang. STEHELINUM, dum pauperiem pateretur, nullam non causam sive bonam sive malam, tractandam suscepisse, modo ipsi videretur quaestuosa; post aliquot annos, aucta re familiari, et progenie etiam auctiore, cum, ad vitandam luem, Liebenwerdam secessisset, excitato recti pravique sensu, vacasse legendis Augustini Hieronymique scriptis; ibi factum esse aliquando, ut, mensae cum assideret, animi deliquium subito passus concideret, velut exanimis; tandem sui iterum compotem factum, erupisse in has voces: ah bone Deus, haud unus homo aeternae sese miseriae committit ob conjugem et natos!

Sed et LUTHERUS ipse parum favebat STEHELINO. Etenim cum 1523 puellae nobiles tres ejicerentur ex gynaeceo aulae Freybergensis, quod sumerent sibi, scripta aliquot Lutheri cognoscere, hic in litteris ad eas perscriptis haud cunctanter omnem culpam conjecit in Cancellarium, verbis de illo usus parum honorificis. Verum constat,

Lutherum universe juris consultis infensiorem fuisse, quod essent juris antiqui et ritus antiqui tenaciores. — De postremis Nostri rebus nihil habemus traditum, quod referri possit. Sed de conjuge ejus, Wittebergae mortua et sepulta, extat in scriptis publice propositis in academia Witteberg. T. III. fol. 244. praeclarum testimonium (putem auctore Melanchthone) his verbis editum: „Fuit ea matrona, *conjunx D. Wolfgangi Stehelin*, velut mater omnium honestarum mulierum in hoc oppido, plerasque piis consiliis rexit et omnibus in partu et morbis adfuit. Talis et soror ejus fuit in patria (Würtembergia) in thermis vicinis oppido Cellae (Liebenzell) in sylva Martiana (Schwarzwald), quae cum sint admodum salubres, multi omnium ordinum homines eo veniunt. Ibi cum aegrotis honesta officia plena pietatis praestaret, multi testes virtutum ipsius adhuc (1558) vivunt. Harum matronarum recordatio huic familiae Stehelin grata sit.“ Haec Melanchthon.

AMBROSIUS VOLLAND, excellentis ingenii et variae fortunae, at fidei etiam variae homo, dignus certe, si quis alius, cujus res a silentio atque oblivione hominum vindicarentur. — Vollandus, inquam, *Markogroeningensis*, studiis academicis defunctus in Italia, ibique doctoris dignitatem adeptus, postquam Tubingâ Wittebergam migrasset, vix unius anni spatio ibi peracto, reversus est in patriam, mox Ulrici Ducis Cancellarius factus. Sed hinc secum abduxerat SCHURFFIUM, captum illius ingenio atque usu, et SCHURFFIUS novae scholae factus est eximio eoque diuturno commodo atque ornamento.

HIERONYMUS SCHURFFIUS natus est sub annum 1480 in oppido, quod a sancto Gallo nomen habet, in Helvetia, patre medico. Litterarum causa primum Basileensi aca-

demia usus est, ubi artium Magistri honores consecutus, juris doctrinae se dedidit. Tubingae mense Martio 1501 receptus in consortium Magistrorum, audivit juris consultos, maxime CUNRAD. EBINGERUM, qui diu postea vixit et lector juris hîc fuit annos quinquaginta tres, quem et ipse SCHURFFIUS saepe narrabat minimum labyrinthorum in docendo afferre solitum et fontes juris rectissime ostendisse. Wittebergam mense Septembre 1502 profectus, primum logicam Aristotelis in via Scoti, ejusdemque librum de coelo et mundo explicuit, stipendio annuo — triginta florenorum et promisso victu, pro quo autem (victu) non accepit nisi *decem* florenos annuos, cum, ipso teste, *septendecim* florenis ipsi constaret (victus annuus). Sed quanquam in jure auditor adhuc erat, tamen, quia ingenio et cognitione juris ceteris auditoribus antecellebat, non tantum a lectoribus, sed etiam ab iis, quorum in aula erat praecipua auctoritas, diligebatur. Itaque mox gradu doctoris ornatus Vollando in patriam redeunti in munere legendi successit. Et quidem lectionem ordinariam h. e. decretorum juris, unde ordinarii nomen ferret, obtinuit, salario centum florenorum. Brevi ita se comprobavit Friderico electori, ut et deliberationibus illum adhiberet et locum illi tribueret in supremo judicio Ducum Saxoniae. Wittebergae cum in rebus ecclesiasticis motus orti essent, non quidem ille temere omnia probabat, non audaciam Lutheri in concremando una cum bulla Pontificis Pontificii juris libro, non festinationem in conjugio ineundo et quae sunt alia. Volebat enim quaedam dici minus horride, quaedam etiam fieri moderatius, ut erat vir gravis, constans et amans disciplinae. Sed doctrinae purioris summam probabat. Cum *Lutherus Wormaciam* vocatus esset ad causam dicendam coram Caesare et senatu imperii, praeter

duos theologos comes ipsi datus est Schurffius, ut ipsi adesset in causa gravissima tanquam advocatus. Nec sane defuit Luthero probavitque publice, se nequaquam alienum esse ab illius doctrina. Posthac etiam amice vixit cum Luthero ejusque amicis, et in eadem statione permansit continue, non spectator tantum sed et subinde pars aliqua eorum, quae gererentur Wittebergae, usque ad Lutheri obitum. Sed anno 1547 ob grave bellum exortum discessit Witteberga Francofurtum ad Oderam, ubi annos septem alios magna subtilitate et in magna auditorum frequentia tradidit juris doctrinam. Invitatus autem ab imperatore Carolo quinto, ut inter judices supremi judicii in imperio germanico locum haberet, usus est excusatione senectutis. Placide obiit Francofurti, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, aetatis quarto et septuagesimo, postquam quinquaginta annos docenda juris scientia explesset. Extant edita ejus consilia, quae dicuntur non solum eruditionem ipsius et judicii rectitudinem, sed amorem etiam veritatis et justitiae in ipso perpetuum ostendere.

Haec de Nostris, quos Tubinga ipsa vix adulta olim concessit novae academiae Wittebergensi, Tubingensis coloniae.

III.

De

MATTHIA LANGIO,

PATRE PURPURATO, PRINCIPE ET ARCHIEPISCOPO SALISBURGENSI, TUBINGENSIS SCHOLAE ARTIUM MAGISTRO.

ORATIO DECANI.

1792.

Trecentos abhinc annos in hac nostra literarum schola magister artium renunciatus est vir juvenis, qui admodum mediocri nascendi fortuna usus ad maxima quaeque enisus est, et parum abfuit, quin summum, quo altius nullum mortalibus propositum est, fastigium ipsum rerum humanarum conscenderet. — Matthaeus Lang, ecclesiae Romanae pater purpuratus, princeps atque archiepiscopus Salisburgensis. Quod cum nemini eorum, qui de vita ejus rebusque gestis exponerent, observatum unquam fuerit, atque adeo effugerit Martinum Crusium nostrum, hominem in captandis ejusmodi rebus atque in suos annales referendis mirifice sedulum; haud alienum nobis visum est et ab hoc loco et ab hujus coetus solemnitate, ut quantum in nobis esset, non nihil dignitatis gravitatisque caerimoniae huic academicae conciliaremus, Langii, viri insignis, non quidem omnem vitam enarrare, quod immensum foret, sed aliquam tamen imaginem festinantius et rapide delineatum publice proponere: quam ut vos facili et benevolo animo excipiatis, auditores, oro atque obsecro observantissime.

Natus est Langius seculi decimi quinti anno circiter sexagesimo nono Augustae Vindelicorum, parentibus quidem patriciis, sed opibus minus quam liberis affluentibus. Literarum causa adiit primum academiam *Ingolstadiensem* anno octogesimo quinto, deinde etiam Viennensem; *Tubingae* vero eum versatum esse, quamquam histori-

corum nulli cognitum, tamen certissimum est. Etenim antiquissimae tabulae, quae penes collegium philosophicum servantur, referunt haec:

„Ordo magistrorum promotorum sub magistro Joanne Lupstig pro tunc Decano anno nonagesimo, proxima die post Laurentii martyrium, Jacobus Tübinger ex Rothenburgo, Matthaeus Lang ex Augusta". Quibus verbis, literis quidem aliis, sed et ipsis vetustis adjecta sunt haec: „Cardinalis S. Angeli, archiepiscopus Salisburgensis". E schola in vitam publicam egressus, quibus ad enitendum adminiculis quibusve adjutoribus usus sit, penitus nunc nos latet, quod omnino molestum est.

Primus autem, quem conscendit, honoris gradus ille fuit, ut ab imperatore Friderico III. adhiberetur latinis epistolis conficiendis. Friderici autem filio atque in imperatoria dignitate mox successori Maximiliano ita se probavit commendavitque, ut apud ipsum gratia et auctoritate plus valeret quam quisquam alius. Itaque mox et honoribus et beneficiis maxime ecclesiasticis mirifice cumulatus est. Etenim ut minora mittamus, anno quingentesimo Augustanae ecclesiae Cathedrali praepositus datus, vel verius invitis deprecantibusque Canonicis obtrusus est. Cumque post quinque fere annos decederet episcopus Augustanus, multus in eo fuit Maximilianus, ut Langium suum in vacuam sedem immitteret: qua in re cum vincere haud posset, mox tamen Gurzensem episcopatum, qui in Austriacae familiae arbitrio nunc esset, in ipsum illius ex aliquot annis jam administrum contulit. In rebus a Maximiliano contra Venetos gestis, permagnas partes habuit Gurzensis, ab imperatore suis per Italiam *vicarius* constitutus. Rogatus a Julio II. pontifice anno undecimo Bononiam profectus est, ad

quam urbem pontifex ad honorem Caesaris vicario exhibendum, velut ipse obviam ei venturus Ravenna contendit. Cumque urbem ille cum ingenti pompa intraret, ad pontificem statim deductus est, qui eum praestolaretur una cum Cardinalibus suis omnibus. Langius eodem anno ipse receptus est in numerum purpuratorum ecclesiae principum, dictus *Sacrae Romanae ecclesiae diaconus, Cardinalis S. Angeli in foro piscium*: ipse vero de se hac solebat formula uti: locum tenens generālis et procurator serenissimi et excellentissimi domini Maximiliani Romanorum imperatoris semper Augusti. Proximo anno (1512) a Caesare Romam missus, eam sibi urbem intranti pompam paratam habuit, qua major et splendidior ne regi cuipiam exhiberetur.

Mortuo Julio II. pontifice, cum in locum ejus illico succederet Leo X., iterum a Caesare missus est Langius Romam, tum Caesaris et archiducis Caroli nomine pontifici novos honores gratulaturus, tum pacis cum Venetis paciscendae negotium tractaturus. In hac legatione illud effecit, ut ad archiepiscopatum Salisburgensem aditum sibi certum pararet. Etenim collegii Metropolitici Salisburgensis a prima inde origine ea adhuc ratio erat, ut ad regulam Augustini adstricti essent sodales. Quod cum iniquius ferrent Canonici mallentque cum aliarum Cathedralium ecclesiarum canonicis liberiore uti conditione, Langium maximis etiam rebus perficiundis haud imparem, conciliarunt sibi, qui Romae etiamnum haerens facile a pontifice impetravit illis licentiam ad secularis cleri formulam transeundi.

Quo facto illi ut gratiam gratiae referrent et Maximiliano simul gratificarentur, causae suae patronum Langium adjutorem dederunt archiepiscopo suo, sed inuito

et reluctanti. Atque ut patientius tolerare posset coadjutor desiderium succedendi in principatum summum, concessus ipsi est ager Mühldorfensis cum venationis piscationisque opportunitate. Hac abhinc sede uti solebat, quando a negotiis publicis otii aliquid et vacationis datum esset viro strenuo et in gerendis rebus exercitatissimo.

Quod Ungaria cum Bohemia nunc est in potestate gentis Austriacae, nihil abest, quin ab Langio effectum esse dixeris. Ipse enim est, qui suo ingenio et mirifica, qua ipse valebat, ad persuadendum vi atque eloquentia effecit anno XV., ut Uladislaus Hungariae Bohemiaeque rex filio Ludovico Mariam Maximiliani neptin desponsam acciperet, et vicissim filiam unicam Annam Ferdinando Maximiliani nepoti desponsam redderet: ex quo connubio illud consecutum est, ut extincto Ludovico in utriusque regni potestatem succederet Ferdinandus. Atque hoc fere summum est multorum, quae cum magna sui nominis gloria pro Maximiliano felicissime perfecit Langius, negotiorum. Sed sunt tamen alia, quae etsi minora praeterire nolim, cum ad patriam illa spectent.

Etenim cum Ulricus dux ob trucidatum a se Huttenum et conjugem Sabinam male habitam a Caesare in jus vocatus et tandem in comitiis Augustanis (11. Octobr. 1516) proscriptus esset, opportune intercessit Langius, cum jam in eo essent hostes, ut in Würtembergiam prorumperent: impetravitque a Caesare, primum, ut inducias adversae parti imperaret, deinde etiam ut veniam sibi concederet, cum ipso Ulrico agendi, si forte res pactione posset transigi.

Itaque locus et dies constitutus est. Blabyram profectus Langius hospitio usus est praeclaro, quod ibi cer-

mitur, monasterio; postridie salutaturus eum accessit Ulricus, praecinentibus ipsi, quibus mirifice sibi placebat, suis tibicinibus, quos et multos alebat et eximios. Res ipsa colloquiis privatis, remotis arbitris, seorsim habitis tandem eo cessit, ut ab imperatore in gratiam reciperetur Ulricus, domumque cum suis, quas spectandas secum adduxerat, copiis alacrius repeteret. Cumque paulo post Langius imperatorem Augusta Hagenoam profectum insequens iter faceret per Würtembergiam, Canstadii obvium nactus est Ulricum venientem in congressum colloquiumque, et videtur omnino Gurzensis haud mediocriter studiosus fuisse Ulrici. Hic enim cum praeceps nimium novam mox imperatoris offensionem incurrisset, et jam proceres Germaniae ab imperatore vocati essent Augustam, ut novae proscriptioni Würtembergensis solemniter ferendae interessent, iterum intercessit Gurzensis iramque Caesaris mitigavit: quo factum est, ut causa omnis protraheretur, donec ineunte anno decimo nono e vita discederet Maximilianus.

Langio non poterat non acerbissimus esse obitus principis, apud quem mirum in modum potens et gratiosus, immo etiam carus fuisset constantissime. Quamvis enim haud deessent homines invidi malevolique, tamen haud quidquam effecerunt contra eum suis obtrectationibus. Immo ferunt, Maximilianum, nobilibus suis ipsi exprobrantibus, quod in omnibus officiis atque actionibus potissimum operâ hominis plebeji et sacerdotis (Langium volebant) uteretur, respondisse: „cur *Vos* non facitis, quos decebat has partes suscipere et tueri? Mihi opus est homine industrio et sedulo, per quem negotia mea expediam; at vos defugitis haec officia, ideoque scriba hic mihi deligendus fuit, qui labores aulicos sustineat.

Wenn's der Adel nicht thun will, so mufs es der Schreiber oder Pfaff thun. Equites ego facile possum facere, sed viros idoneos ad gubernationem et tolerantes laborum et onerum imperii non possum creare". — Sed etiam Carolo mox fidem suam atque ingenium probavit Langius. Etenim in comitiis Francofurtensibus eligendo imperatori habitis ipse litteris solemnibus a Carolo munitus principis in Hispania absentis petitionem imperatoriae dignitatis sustinuit, ac universum negotium non egit modo, sed et peregit felicissime. Quumque proximo anno Carolus ex Hispania in Belgium appelleret, exceptus, atque Aquisgranum, ubi ordines imperii convenerant, deductus est a Langio, qui non interfuit modo in augurationis solemnitatibus, sed et novi imperatoris nomine ordinibus de collata in se summa potestate gratias persolvit. Interea defunctoLeonardoSalisburgensi archiepiscopo, inter summos imperii ordines ipse nunc locum occupavit Matthaeus, frequentibusque abhinc comitiis haud otiosus spectator interfuit. In Wormatiensibus eorum, quae contra Lutherum acta sunt, ipse haud dubie praecipuus administer fuit: erat enim in propugnanda avitae religionis formula diligentissimus acerrimusque: quapropter et Joannem Staupitium, Augustinensem primo, et Lutheri priorem provincialem, ut a Luthero averteret, primo sibi adjunxit privatorum sacrorum administrum, deinde etiam, impetrata ipsi a pontifice venia transeundi ad Benedictinorum formulam, monasterio S. Petri Salisburgensi Abbatem constituit, alio Abbate exauctorato.

Mortuo Hadriano pontifice sermo erat etiam in ipsis comitiis Norimbergensibus, fore, ut Caesaris auctoritate iterum Germanus aliquis ad pontificatum evehatur: et qui unus ad summum hoc rerum mortalium culmen

enisurus in hominum ore versabatur, erat Matthaeus Langius. Verene res ista acta fuerit, quidve effecerit, quo minus eadem processerit, incertum: illud vero haud dubie hinc efficitur, summam, nec summis honoribus inferiorem tum fuisse viri apud omnes existimationem. Qui Romanae curiae bene favebant, praeclarissima quaevis a tali pontifice expectabant; qui contra alieni ab ea essent, nihil non causae suae timendum esse augurabantur. Ad Electorem Saxoniae a comitiis tum absentem legatorum, quos Norimbergae habebat, alter, Planitius, renuntiavit haec: „Langius si pontifex factus fuerit, vim ac oppressionem Lutheranis imminere, at feminarum venustarum amorem permissum iri ut justum et legitimum". Sane quo ille in Lutheranos animo fuerit, ex eo intelligas, quod Norimbergae Ferdinandi, legatos nonnullos tum ad auxilia contra Turcas praestanda tum ad extinguendam Lutheri doctrinam hortantis, orationi subjecit haec: Satius esse, ut Lutherani, quam ut Turcae exstirpentur, et se quidem adversus *illos* lubentius etiam opem esse laturum.

In Augustanis etiam comitiis multiplices magnasque partes iterum sustinuit Noster. Hic cum Melanchthone aliquando congressus, cum negaret, quidquam relictum esse, nisi ut alterutra pars alteram litigantium vinceret subigeretque, et Melanchthon modeste se gereret, de emendandis Clericis maxime agi, ille, per jocum quasi, sed tamen vere, quid, ait, de nobis sacerdotibus emendandis vos agitis? nos vero sacerdotes nunquam boni fuimus. Praelegendae confessioni cum ipse interfuisset, mitius quidem nunc de Lutherana formula judicavit, sed negavit, illud ferendum esse, quod obscurus aliquis monachus sumat sibi potestatem omnia reformandi. Cum brevi post congres-

sus principum aliquot haberetur ad componenda dissidia animosque conciliandos, adhibitus ad eum quoque est Salisburgensis ob magnam existimationem de ejus in rebus tractandis prudentia. Congregatis principibus cum episcopus Augustanus, Christoph. a Stadion (et ipse Tubingae baccalaureus anno seculi decimi quinti nonagesimo primo et magister anno nonagesimo quarto renuntiatus) rei deliberandae initium faceret oratione gravi, qua hortaretur, circumspiciendum esse, ne quid verbo divino contrarium statuerent, neque enim Lutheranos ullum fidei articulum oppugnare vel evertere, igitur bonorum omnium esse, ut ad pristinam ecclesiae concordiam recuperandam confirmandamque omnia sedulo agant; Salisburgensis his auditis conversa ad Augustanum oratione his eum verbis compellavit:

„Unde tibi haec subita mutatio et insperata sanctitas? aliam enim mentem et de religione sententiam me ex te non ita pridem audivisse recenti etiamnum memoria teneo". Cui Augustanus haec respondit: „Non equidem me hactenus multa impia et reprehensione digna facta designasse diffiteor, sed meliorem vivendi rationem sequi praesens me tempus jubet. At *tuum* fortassis vitae institutum meo non multum est religiosius et melius: tanto vero *tuum* propositum meo et pejus et abominabilius, quanto majori pertinacia et contentione peccata tua excusare, idololatricos abusus palliare et impiam doctrinam defendere et stabilire conaris, cujus impietatis ut me participem faciam, Deus avertat"! —

Tandem cum de conficiendo comitiorum decreto deliberatio institueretur, ad hanc quoque adhibitus est Langius. Itaque decretum, in antiqua religione perseverandum esse, nec quidquam novandum ante concilii definitio-

tionem: quod ne vi sua careret, constitutum brevi post fuit inter Catholicos arctius foedus, cui et Langius nomen dedit suum. — Aliis deinceps comitiis eum interfuisse haud constat: sed anno tricesimo quarto interfuit Romae eligendo novo pontifici, unde hanc honoris accessionem reportavit, ut ad ecclesiam Albanensem translatus Cardinalis *episcopus* nunc salutaretur. Cum in Germania tandem res ad arma spectaret, anno tricesimo septimo et ipse ad foedus accessit, quod Smalcaldico oppositum *sancti* foederis nomen usurpavit: sed antequam funestum illud bellum erumperet, e vita ipse sublatus est. Exhaustis non corporis magis quam animi etiam viribus triste spectaculum humanae conditionis obiit anno quadragesimo.

Superest, ut de dotibus viri non nihil dicamus. Naturam is certe, si quis alius, beneficentissimam expertus est. Erat illi statura corporis procera, gracilis, facies immo forma et figura universa ad honestatem atque ad mirificam aliquam dignitatem composita et gravitatem, quam vero humanitate, et, ubi opus esset, comitate ita temperabat, ut omnibus placeret, omnes in sui admirationem raperet. Hac comitate, quod non nemo refert, factum est, ut nonnunquam in coetu principum ad choreas descenderet amicorum invitatione jam Cardinalis, adeo tamen pudice, adeo graviter, ut, et si vultus gravitatem seponere aliquantisper conaretur, tamen vel invito ipsa oris dignitas augeretur: quae cum gratia quadam et singulari mansuetudinis specie conjuncta mirificam contuentium oculis voluptatem afferret.

Ingenium vero a natura nactus erat felicissimum atque ad regendae reipublicae scientiam apprime aptum. Prudentiam ejus et in rebus tractandis dexteritatem tantopere celebrant aequales, ut mortalium sui aevi pruden-

tissimus videri debeat. Dicendi et persuadendi vim ferunt in eo fuisse tantam, ut nihil non impetrare ab aliis potuerit. Semet ipsum autem ita in potestate habebat, ut irae vel odio vel cupidini vel timori locum concederet nullum.

Et quanquam aliis se comem, affabilem, urbanum praeberet, mira tamen in ejus animo constantia adfuit, ut, sicubi rem probe deliberatam habere sibi videretur, a suscepto consilio dimoveri se nulla ratione pateretur. Hoc autem quod ceperat consilium ita persequebatur pertinaciter, ut nihil industriae reliquum faceret dubiumque esset, an plus ingenio ad consilia an ad efficiendum solertia valeret. Beneficiorum et redituum erat quidem justo appetentior, ut Maximilianus imperator facete aliquando pronunciaret: duos sibi capellanos esse, unum (Leonardum archiepiscopum Salisburgensem putabat), quem evacuare non posset, alterum (Langium) quem non posset exsatiare. Sed erat idem quoque, si quis alius, ab avaritia alienissimus, contra vero admodum sumtuosus et magnificus, pompis atque ostentationibus — ut fere faciunt qui ab imis ad summa escenderunt — plurimum solebat tribuere: quo factum, ut, quoties peregre advenisset, ingentibus hominum concursibus et insolitis officiis exciperetur. Arcem Wellenburg, postquam situ et ruinis squalentem multo aere redemisset, magnificis structuris restauravit, postmodum etiam antiquitatis monumentis ex Italia potissimum petitis exornavit. Salisburgi autem aulam archiepiscopalem et arcem aedificiis, propugnaculis, cisterna auxit; sub arce vineam adornavit et hortum exquisitis arboribus consitum. Publicis etiam commodis inserviit via per Alpes magnis sumtibus munienda.

De *doctrina* denique viri non est quod multa commemorem. Neque enim eruditionis documenta ab se edita reliquit, nec facile existimaverim, insignem in eo doctrinam adfuisse, qui omnem vitam in tractandis negotiis civilibus consumeret: etiamsi tum, cum e schola hac nostra in vitam publicam egrederetur, probe, ut temporis ratio ferret, literis instructum fuisse admodum credibile sit. Sed quod alios eruditionis laude claros in honore et pretio haberet et sua etiam gratia maxime apud Maximilianum a literis earumque cultoribus haud alienum juvaret: factum est, ut vicissim doctrinam Langii summis laudibus extollerent tantumque virum et privatis literis et libris editis nomine illius inscribendis patronum sibi et Maecenatem efflagitarent.

Haec de Matthaeo Langio, magistro Tubingensi: nunc de aliis magistris dicendum.

IV.

ORATIO CANCELLARII

DE

J O H A N N E B R E N T I O

THEOLOGO SUI TEMPORIS POST LUTHERUM FERE PRIMARIO

VEL MINUS COGNITA VEL HAUD VERISSIME TRADITA EXHIBENS.

1 8 1 1.

Praefari visum est de *Joanne Brentio*, theologo sui temporis eximio, et, post Lutherum, fere primario, de hac *nostra* etiam litterarum universitate praeclare merito; non quidem ut *omnem* viri, memoria dignissimi, vitam complectatur oratiuncula, sed ut contineat sese in juventute ejus, eaque potissimum referat, quae sunt vel minus cognita vel haud verissime tradita.

Joannes Brentius natus est anno supra millesimum quadringentesimum nonagesimo nono, ipso die Joannis Baptistae, in urbe tum quidem Imperiali libera, nunc Würtembergiae oppido, Wila, Weil, patre haud plebejo, sed civitatis quaestore seu sculteto (Amts-Schultheifs). Superest ipsa domus, in qua primam ille lucem vidit, eaque suburbana, intacta ab incendio, quod Gallorum protervitas excitavit mense Octobre anni millesimi sexcentesimi quadragesimi octavi, jam confecto bello triginta annorum et pace composita, quo oppidum penitus conflagravit, et domus etiam, in qua natus est *Jo. Keplerus*, absumta. Brentiana illa dicitur clivo imposita a ceteris intacta, duplicis quidem contignationis sed arctae, angusta et tenuis, qualis nunc solet esse casa nonnisi pauperioris hominis [1]).

1) Weil's, der Stadt, kleine Chronik — von Gehres. 1808. 8. S. 100 f.

Elementa grammatica in patria schola utcunque didicit Brentius. Sed anno aetatis undecimo missus est ad meliorem ingenii cultum Heidelbergam in ludum trivialem. Mox inde Vaihingam concessit, quod, qui oppidi scholae praeerat, M. Jo. Schmidlin, artifex singularis in formandis puerorum ingeniis haberetur. Hinc Heidelbergam rediit decimo tertio aetatis anno, mox receptus in numerum civium academicorum. Praeceptores in artibus habuit Theobald. Billicanum et Jo. Kneller [2]), viros singulari sorte, at impari, usos.

Et *Billicanus* quidem, primus, anno 1522 Lutheri dogmata in concionibus sacris *proposuit* Wilae, multis ea cupide excipientibus, at mox dimissus ex auctoritate Ferdinandi Austrii, tunc Würtembergiae Domini, exceptus est illico Noerdlingae, ubi ecclesiastico munere functus est ad annum usque 1535, quo, mutato vitae genere, migravit cum conjuge natisque Heidelbergam, et totum nunc Jurisprudentiae studio se dedit, id agens unice, ut Juris professoris publici gradum assequeretur; sed migrare jussus ab Electore Ludovico 16. Jul. 1544 ex urbe et Academia [3]), in Hassiam se recepit, et Marburgi, ubi anno 1548 lectiones rhetoricas historicasque habere coepit, mortuus est A. 1554 [4]).

At *Jo. Kneller*, et ipse *Wila* oriundus, qui 1512 Heidelbergam adiit magister artium et juris utriusque Baccalaureus et 1518 ordinis philosophici decanus, et biennio post Institutionum imperialium professor factus,

2) Heerbrandt Oratio — pag. 8.

3) (Wundt) Programma de origine et progressu facultatis juridicae in Acad. Heidelberg. L. III. Ann. 1780. pag. 13 sqq.

4) Strieder, Grundlage etc. 10ter Band. S. 383 sq.

Rectoris etiam academici munere functus 1524, hoc anno et magistratui academico renuntiavit et professoris publici officio, relictâque Heidelbergâ rebus civilibus tractandis se dedit, et brevi Camerae Imperialis Assessor factus est, tandem etiam Caesaris Caroli V consiliarius [5]).

Heidelbergae tum temporis non erat, qui, publica auctoritate constitutus, traderet vel graecas litteras, vel hebraicas.

Brentius in *graeca* lingua discenda usus est privata opera Jo. Oecolampadii, Weinsbergensis, in *hebraea* magistrum habuit Matthaeum Adriani, Hispanum, medicinae doctorem, ortu Judaeum, sed dudum christianis sacris initiatum [6]). Et quidem *Oecolampadium* colebat quam maxime, habebatque eum vicissim sui amantissimum. Scripsit Oecolampadius Erasmo [7]) in litteris Weinsbergâ 26 Martii 1517 haec: „Hieronymi interpretatio-

---

5) Heerbrandt Oratio loc. cit. pag. 8.

(Wundt) Progr. cit. pag. 10 teste von Harpprecht, Gesch. des Kaiserl. und Reichs-Kammer-Gerichts u. s. w. Fünfter Theil. 1767. 4. S. 111. und 247. (non 147, ut est in programmate.)

Brentius ipse scripsit Isenmanno Augustà Vindel. die nativitatis Mariae (h. e. 8. Sept.) 1530:

„De Knellero in Fiscalem electo nihil plane scio. Con-„venit me aliquoties, sed de ea re nec verbum mecum fecit."

6) Opusculum ejus, *Libellus Hora faciendi*, editum Tubingae MDXIII. mense Januario; inscripsit illud Domino I. L. theologo profundissimo (i. e. Jacobo Lemp) Matthaeus Adriani doctor Medicinarum. Videtur etiam Tubingae versatus fuisse.

7) Erasmi Epistolae. Lugd. Bat. 1706. fol. col. 235. Hefs, Oeko lampadius, p. 36.

„nes cum hebraicis confero exemplaribus, quae prope „nunquam ex manibus seponuntur. Est mecum adoles- „cens paris studii ac ardoris ad quasvis litteras, Jo. Bren- „tius, tui nominis studiosissimus; paramus πιναχίδιον in „germana divi Hieronymi opera.“ Cumque Oecolampadius Anno 1522 casu venisset Heidelbergam, et invitaretur a facultate Artium ad docendum *publice* litteras graecas, internuntio haec usa est Brentio tulitque ab illo hoc responsum: se ob negotia abitum parare; si vero ipsius operam universitas aut facultas posceret, *per Brentium suum* se indicaturum, ubinam locorum inveniri possit [8]).

Brentius, baccalaureus factus, non ut vulgatum est anno 1514, sed 1516 22 Maji, tum Magistri dignitatem consecutus 1518 die Lucae (18. Oct.), primo loco positus, insignia Magistri tradente Theobald. Billicano [9]), proximo anno 1519. 20. Jul. alter Regentium seu Rectorum in Bursa Realium seu Suevorum constitutus est [10]), aetatis annum nunc ingressus vicesimum primum. (Tres vero Bursae seu tria contubernia erant Heidelbergae usque ad annum 1546) [11]). Lectionibus nunc *privatis* in Bursa habendis eum brevi haud mediocrem sibi existimationem parasse cum aliunde constat, tum ex eo quoque intelligitur, quod artium facultas, cum 1520 deliberaret de emendandis studiis philosophicis et Quinqueviros

8) (Wundt) Progr. Memorabilium Ordinis Philosophorum Heidelberg. partem II. exhibens. 1783. p. 5.

9) Ex Actis Heidelbergensibus, teste Friderico Wilken in litteris.

10) Progr. proxime citati pag. 2 inf. Beyschlag S. 526.

11) Loco eodem pag. 17. Alting historia — p. 158. sup.

constitueret recognoscendae versioni latinae libri Aristotelici, in eorum numero erat tertius, Jo. Brentius, Willensis [12]).

Accidit anni 1518 verno tempore, ut Lutherus veniret Heidelbergam ad conventum sui ordinis monachorum, ac in coenobio Augustiniano proponeret dogmata quadraginta — Paradoxa ipse vocavit — publice a se propugnanda. Brentius non modo disputationi interfuit, cum sexcentis aliis, sed ipse privatim etiam adiit Lutherum, ut ab eo edoceretur de quibusdam uberius. Abhinc captus admiratione viri, doctrinae ejus rationem ipse secutus est, hoc modo, ut non tantum ex illius scriptis sapere vellet, sed ad sacros cum maxime libros, hebraice et graece doctus, revocaret omnia. Coepit evangelium Matthaei enarrare sui contubernii sodalibus, habuitque hoc eum successum, ut, mox aliunde etiam multis studiosis confluentibus, non sufficeret auditorium. Aliud igitur, amplius, occupatum, auditorium facultatis artium publicum. Excitavit auditorum frequentia invidiam odiumque Theologorum, non sine specie negantium, fas esse, theologica tractari et ab homine sacris nondum initiato, et in loco nequaquam sacro. Brentius autem inter Canonicos ad templum S. Spiritus Heidelbergae adscitus, Spirae ordinibus sacris initiari se curavit, quo facto in urbe patria primitias, ut ajunt, hoc est, primam missam celebravit. Wilâ reversus Heidelbergam, praelegendi et disputandi operam non modo haud

12) (Wundt) Progr. Memorabilia ordinis Philosoph. Heidelb. exhibens Ann. 1779. pag. 24. Alter dictus Theobaldus *Abastantius* Billicanus. — Stoefleri Calendarium Magnum, Oppenheim 1518. exhibet Disticha tria cum inscriptione: Ad Jacobum Koebel Theob. Abascantius Bellicanus.

intermisit, sed conciones quoque populares subinde habuit, gratus auditoribus. Communem cum Brentio operam praestabat Theobaldus Billicanus, effeceruntque ambo, ut major studiosorum pars ad ipsorum doctrinam accederet. Aegre hoc tulit Ludovicus, Elector Palatinus, avitae doctrinae tenacissimus, „ipse litteris severis ad „Scholae Senatum scriptis, eo nomine conquestus est, „clandestinas lectiones prohibuit et in earum auctores in„quiri voluit. Quocirca uterque, et Brentius et Billica„nus, primum a Senatu academico, deinde a Cancellario „Electoris in jus vocati sunt, sed ita responderunt, ut ju„dicium effugerent“ [13]).

Et incidit vocatio Halam Suevorum ad munus ecclesiasticum, auctore J. Isenmanno, Halensi, artium Magistro Heidelbergae. Hoc enim commendante, Brentius invitatus ad edendum concionandi specimen, habita concione ita se probavit omnibus, ut, etiamsi aetas in illo desideraretur grandior, non enim erat nisi annos viginti tres natus, tamen conduceretur annuo salario octoginta florenorum [14]).

Erat autem Brentius, cum inclinante Anno 1522 Heidelbergâ Halam migraret, sacrae theologiae baccalaureus [15]).

In novo munere magnam brevi auctoritatem consecutus est, imo et celebritatem. Proximo statim tempore sermones ab eo habiti, singuli, typis editi sunt, subinde repetiti nova editione. Forte primus omnium

---

13) Verba sunt Altingii, pag. 144.

14) Octoginta florenos dicit Heerbrandt, negligenter Gebres (p. 158.) 50 fl.

15) Ex actis Mss. Heidelberg.

est sermo de ecclesia, vulgatus a. 1523, cujus extrema verba sunt haec: „Do Christus seine Jünger ausschücket, sagt er nit, geet hin beschert euch, „tragt lang röck, habt kein eeweyb, sonder „get hin taufft und predigt das Evangelium des „reychs. Welches verleyh uns der Herr Je„sus Christus. Amen."

Exorto tumultu agricolarum, cum etiam, qui Halensi civitati subessent, agmen admovissent urbi; magna in ea trepidatione orta, Brentius et procerum et civium animos ita confirmavit, ut impetu a civibus facto disjicerentur rusticani [16]). Effecit vero idem quoque hoc, ut in gratiam reciperentur. Editus est ejus Sermo 1525: Vom Gehorsam der Underthon gegen ihre Oberkait. Editus vero etiam, eodem anno, alius, Von Milterung der Fürsten gegen den auffrurischen Bauren.

Brentius nomine Ludovici Electoris Palatini ab ejus Cancellario rogatus, ut judicium suum declararet de famosis illis XII articulis Rusticorum, ad Scripturam S. eos exigens, negavit quidem illos probandos esse, at vero Imperantes etiam admonuit de suo officio [17]).

Jamjam eminuisse Brentium inter theologos evangelicos, docet quoque illud Syngramma Suevicum [18]).

---

16) Prescher, Geschichte von Limpurg. P. I. 1789. 8. p. 231 sqq.

17) De administranda pie republica ac subditorum erga magistratus justa obedientia libellus, per Jo. Brentium apud Salinas Suevorum ecclesiastem ad quendam Germaniae Principem per Hiobem Gast Latio donatus. Hagen. 1527. 8.

18) De Syngrammate silet Heerbrandtus, quod mirum videri possit. Exstat in Strobels Miscellaneen litterarischen Inhalts. Dritte Sammlung. 1780. p. 155. sq.

Anno 1525 scripsit Oecolampadius Basileae librum de genuina verborum Domini, Hoc est Corpus meum, juxta vetustissimos auctores expositione, professus, Corpus tropice dictum esse pro figura seu signo corporis, additque epistolam ad dilectos in Christo fratres per Sueviam Christum annunciantes, quae suam his sententiam commendaret. Convenerunt Suevi concionatores Halae et deliberatione facta Responsum designarunt. Scriptorem illud habuit Brentium [19]), forte ceteris omnibus natu minorem, et quod plurium communi nomine veniret, dictum Syngramma. Privatim illud transmissum ad Oecolampadium, brevi post etiam typis vulgatum est, putem Hagenoae, at si non inscio, certe non curante Brentio. Aegre hoc responsum tulit Oecolampadius, aegerrime ac fere insolenter Zwinglius. Sed aliis permultis vehementer illud probatum, mox etiam germanice conversum cum commendatione ipsius Lutheri, atque iterum, et subinde denuo editum.

Abhinc magis magisque inclaruit Brentius scriptis, cum aliis, tum maxime commentariis in libros sacrae Scripturae. Prodiere ejus

---

Erneuertes Andenken der Gelehrten, die das schwäbische Syngramm unterschrieben haben.

Auctor est Am Ende; pag. 190 de se ita: Ich selbst habe einen Brief von Brenz abdruken lassen in dem 2ten Theil der vermischten Beyträge etc. Frankf. u. Leipz. 1765. S. 83.

19) Fischlini Supplem. pag. 2. Etiam Oecolampadio Zwinglioque auctor habitus Brentius. Vid. Hefs, Lebensgeschichte des Oekolampadius. S. 123. 125.

In Amos prophetam annotationes (8. sine l. et. a.).

Hiob, ad hebraicam veritatem translatus, cum commentariis. 8. (Praefatio scripta 3. Dec. 1526).

Ecclesiastes Salomonis cum commentariis. 8.
(in edit. Hagan. 1528 praefatio scripta Halae 14. Januar. 1527.)

In Johannis Evangelion Exegesis. 8.
(in ed. Hagan. 1530 praef. scripta Halae Cal. Mart. 1527.)

Quam plurimos lectores non possunt non habuisse isti libri; etenim singulorum primae editioni proximo statim tempore successit nova. Lutherus maxime probavit laudavitque Brentiana scripta. Publice haec ille professus:

Ego vero de tuis Scriptis sic sentio, ut mihi vehementer sordeant mea, ubi tuis tuique similium scriptis comparantur. — Non Brentium, sed Spiritum praedico, qui in te suavior, placidior, quietior est, deinde dicendi artibus instructus, purius, luculentius et nitidius fluit, itaque magis afficit et delectat. Meus vero, praeterquam quod artibus dicendi imperitus et incultus, nihil nisi sylvam et cahos verborum evomit [20]) et quae sunt cetera.

Lutherus etiam sponte sua primus anno 1527 litteris compellavit Brentium [21]) his verbis usus:

„Has litteras, quamvis lubenti et spontaneo, extorsit tuus Spalatinus, ut et litteris scribendis tuam familia-

---

20) In Praefat., quam refert In Prophetam Amos, Jo. Brentii Expositio. Wittembergae 1530. 8.
Praefatio Lutheri scripta „ex Eremo" (Coburg) XXVI. August. A. MDXXX, non ut est apud Heerbrandum pag. 16. Epistola A. XLIIII.

21) Vid. secundus tomus epistolarum. fol. 361.

ritatem mihi parem, qui Spiritu et unanimitate sumus, gratia Dei, conjunctissimi."

Quapropter mirum videri nequit, quod Marburgensi quoque Colloquio 1529 inter paucos interfuit Brentius, non suo solius impetu, sed vocatus, et quidem, ut ipse scripsit, vocatus fratrum vicinorum nomine (Syngrammatis illius participum), ut haberent illi rei gestae et narratorem et testem 22). Marburgi visus est Ulrico, Würtembergiae Duci, tum exuli, et aequo nunc animo ferenti exilium, et multa familiariter colloquenti: quod ipsum nonnihil effecisse potest, ut posthac, Ducatus sui compos factus, expeteret Brentium, ejusque uteretur opera.

In *Augustanis* comitiis, 1530 habitis, inter Evangelicos theologos post Phil. Melanchthonem plurimum auctoritate valebat Brentius 23), adductus in comitatu suo a Georgio, Marchione Brandenburgico, ut suis ipsi consiliis praesto esset. Supersunt epistolae complures, necdum editae, quas ille familiarius scripsit Augustâ Vindeli-

22) Vid. Epistola Brentii ad Schradinum, Reutlingensem, ex Hala 14 Nov. 1529. in (Begeri) Relation, pag. 153. Heerbrand. pag. 20.
Gehres S. 150 perperam dixit, Herzog Ulrich habe ihn nach Marburg gesendet.

23) Plank Geschichte, dritten Bandes, erster Thl. S. 71. „Er liefs Melanchthon und Brenzen, der nach Melanchthon das gröfste Gewicht unter den Theologen hatte. —
Nach Luthers Tode habe Churf. Johann Friedrich daran gedacht, den Brentius ihm zum Nachfolger zu geben, sagt Ratzenberger S. 59. der Strobelschen Ausgabe."

delicorum Halam ad suum Isenmannum. Ex his nonnulla, cognitu haud indigna, recitare visum est.

Vocem illam Georgii Marchionis, praecipitem quidem at animosam, qua Ferdinando, nomine fratris, Caesaris praesentis, instanti locum non esse posse concionibus evangelicis, respondit:

> Ehe ich will mir das Wort Gots nemen lassen, vnd meines Gots verleugnen, Ehe will ich itzt niederknien vnd mir den kopf lassen abhawen.

„Hanc vocem, ait ille, et Princeps nobis retulit, et alii „Principes, qui tunc aderant, de Marggravio retulerunt.“

Commemoravit vero etiam aliud dictum, fere audacius, nondum vulgatum, at cognitu dignissimum, Philippi Hassiae Landgravii.

> „Cum Principes Caesari responderent (ponam autem, „inquit Brentius, verba vernacula, quo magis perspicue rem intelligas): Sie kondten nit mit gutem „Gewissen der kayserl. Mstt beger thon „vnd die Predig vnderlossen, Respondit Ferdinandus nomine Caesaris, So kunde K. Mt. dasselb nit leiden. Ad haec statim intulit Landgravius, Kays. Mt. Gewissen sei aber kein Herr „vnd Meister vber Ir Gewissen.“

Confessio Evangelicorum cum praelegeretur publice et solenniter, Caesar — (pag. 9b) „obdormivit. Rursus cum „adversariorum responsio legeretur, iterum obdormivit in „media negotii actione. Tam vigilanter affectus est erga „religionis nostrae controversiam. Et certe vir bonus est „Imperator, qui nihil agit, sed duntaxat agitur.“ Antehac scripserat (pag. 3): „Caesar clementissimi est ingenii, sed a saevitia Campegii, Legati Romanensium,

„captivi." Alio loco (pag. 14.) professus est: „Impera-„tor certe optimus vir est et princeps clementissimus, „quod testimonium ab omnibus bonis viris habet."

Sed recitabo etiam, quae spectant ad Brentium ipsum. Ipsis primis litteris (pag. 1.) haec scripsit:

„Advenit huc *Cochleus*, homo stupidus, sed tamen qui „se nobis humanum praebet. Nuper scripsit ad Philip-„pum (Melanchth.), se cupere cum eo colloqui, sed re-„motis presbyteris *uxoratis*. Philippus igitur *me* comi-„tem assumebat, nondum uxoratum. Ecce in quantam „felicitatem mihi cesserit meus coelibatus, quod licuerit „cum *Cochleo* colloqui. Sed tamen, cum hominem ac-„cessissemus, ita mansuetum reddidimus atque placavi-„mus, ut nunc indifferenter presbyteros uxoratos salutet „et humaniter colloquatur."

Aliis litteris ita fere jocatus est: (pag. 12) „De uxore „ducenda *nunc* plane nullus relictus est cogitandi locus. „*Vivere* vix licet, et de rebus uxoriis cogitare libéret? „Huc accedit, quod, cum ego cum Philippo nuper lega-„tione fungeremur ad Cardinalem Romanum, Campe-„gium, et is interrogasset, num uxoratus essem? negan-„tem me perhumaniter, ut solent Itali, collaudavit. Exi-„stimas, me hujusmodi laudibus non titillari?" At ille non perstitit in Coelibatu sibi tam honorifico. Vix enim e Comitiis domum reversus, matrimonium iniit, duxitque Margaretham, Caspari Graeteri Halensis filiam. Superstites habebat ipse tum parentes [24]). Anno 1531 Dominicâ Trinitatis, scripsit ad amicum: Expecto quotidie a patre meo litteras, quibus me ad patriam vocabit, cum ipso negotia quaedam, ad conservandum familiae nostrae

24) Apographi mei pag. 8b.

famam, quam Senatus Wilensis ob Evangelii confessionem foedare conatur, pertinentia tractaturum. Anno 1533 Consilium ejus requiritur a Senatu Norimberg. [25])

Ulricus Dux Würtembergiae, recuperato armorum vi Ducatu suo, quum mutatae rei ecclesiasticae Scholam quoque litterarum Tubingensem aptare coepisset, mox ad perficiendum hoc negotium Brentio sibi opus esse ratus, primo 1536 litteris sua auctoritate a Phil. Melanchthone, tum hospite, Nürtingae scriptis, eum invitavit [26]), deinceps legatis suis missis ab Hallensi Senatu impetravit, ut sibi concederetur pro anni unius spatio: forte quod Brentius ipse nollet se committere fortunae minus certae. Prima vice Senatui academico interfuit 3 Dec. 1536, Commissarius magis Principis, quam professor theologiae, exposuitque, se apud Senatum Hallensem obtinuisse, ut per unius anni spatium professorem theologiae ac pietatis hic ageret, ea tamen conditione, ut mox post annum redeat ad suum ministerium, et si quid interea periculi incideret in civitate Hallensi, Magistratus jus habeat ipsum revocandi; addiditque, ex gravibus causis se jam non posse hic consistere, rediturum autem anno proximo.

Valedixit Senatui solenniter 6 April. 1538, gratias

---

25) Epistola Brentii ad Lachenmannum Heilbronnensem edita in Strobels Miszellaneen III. St. S. 165. 166.
Vid. Strobels Nachricht von Veit Dietrich S. 29.

26) Erläuterungen p. 369. 377. Legatos missos esse, testis est Heerbrand pag. 25.
De Brentii Salutatione prima et Valedictione in Senatu academico, quae tradita sunt, petita ex Senatus Actis s. Protokoll.

agens, ambitionis vitio se excusans; si quod peccavisset, rogans veniam.

Meritorum ejus de nostra Schola non quidem primarium, nec tamen nullum hoc est, ut, quod alio loco exposuisse nos non admodum poenitet, obtineret a Principe, renuntiationes graduum academicorum non abrogandos esse, quod ille a Zwinglianis sibi fere persuaderi passus fuerat, sed probandas esse atque perpetuo usu servandas; quamquam Ipse dignitatem Theologiae doctoris nunquam assectatus, ea certe si quis alius dignissimus.

Itaque Brentius est, qui nobis, quae hodie agimus, solennia paravit. *Legitime* ut eadem peragantur, accedit nunc etiam venia, quam humanissime requiris, vir spectatissime.

Igitur Tibi, Joanni Friderico Gaab, Decano et Promotori,

Ego, regiae litterarum universitatis Cancellarius, a regia Majestate constitutus, publice et solenniter Veniam largior atque auctoritatem confero, praestantissimos hosce Candidatos, quorum nomina, nec nomina solum, sed et promerita recitat Programma editum,

Artium liberalium et philosophiae magistros seu Doctores creandi, et tales renuntiandi.

Dixi.

V.

De

MELCHIORE VOLMARIO,

JURIS CIVILIS, DEINDE GRAECARUM LITTERARUM PROFESSORE TUBINGENSI

(Annis 1535—1556)

ORATIO

Dicta 28 Nov. 1792.

Graecarum litterarum in hac Schola Professores olim recensuit *Jo. Christian. Klemmius* in prolusione academica, anno hujus seculi vicesimo octavo publice proposita, quae ut multis vehementer probata, ita etiam mox iterum edita fuit a *Jo. Jac. Mosero* in Wirtembergiae illustratae parte altera. Sed ignoravit, praetermisit certe, Klemmius virum, ceterorum nemini, nisi forte uni *Joachimo Camerario*, secundum, et vel ex eo maxime memorabilem, quod is fuit, qui Joanni Calvino prima purioris religionis semina ingereret — quapropter et ipsi Friderico II., quem Unicum dicunt, nomen viri dignum visum est, quod memoriae commendaretur in Commentariis Brandenburgensibus; — Theodorum Bezam autem, elegantissimum ingenium, non modo optimis litteris graecis latinisque solus excoleret, sed et rectioris religionis sensu imbueret, sibique omnem ita addictum redderet, ut praeceptoris, dum viveret, amantissimus esset et mirifice studiosus. *Melchiorem Volmarium* innuo, Juris Civilis primum, deinde graecarum litterarum in hac nostra Schola professorem. Liceat igitur per Vos, Auditores, viri docti et boni, cujus adeo nomen apud nos intermortuum esse videtur, memoriam nonnihil inter nos excitare, et quae explorate de ipso dici possunt, referre breviter.

Melchior Volmarius Roth, etiam Rufus dictus, natus est anno millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo Rothwilae (Rothweil) in Suevia, unde et dictus

est Erythropolitanus, nec non, ob patriam cum Helvetiis foedere junctam, Helvetius. Tubingae 20. Octobr. 1514 inscripsit Rectore *D. Jacobo Lemp*, „*Melchior Volmer* „*Rotwilensis*". Litterarum causa puer Bernam missus est, cujus rei causam videmur nobis in eo reperisse, quod qui Collegii Canonicorum Bernensis Scholam tum, non sine nominis sui fama aliqua, moderaretur, *Valerius Anselmus*, *dictus Rud*, et ipse oriundus esset Rothwilâ. Bernâ deinceps ad ingenium magis excolendum profectus est Lutetiam. Hic maxime *Jacobi Fabri Stapulensis* institutione atque consilio usus, optimis litteris tam feliciter operam dedit, ut, cum Magisterii honores ibi capesseret, inter centum candidatos primo ipse loco dignus pronuntiatus fuerit. Angaria Cinerum A. 1516. d. 1. mens. Martii Baccalaureus factus est „Melchior Folmer, Rothwilâ". Humaniorum vero litterarum, latinarum graecarumque, mox eam copiam nactus est, ut et publice eas traderet, et anno seculi sedecimi vicesimo tertio Iliados Homericae libros duos priores in lucem ederet cum suis commentariis. Sed quod Lutheranae doctrinae, in Gallia tunc enascentis, studiosior esset, eamque et ipse palam profiteretur, et commendaret aliis; eorum, qui avitam religionem tuerentur, odia atque insidias ita in se concitavit, ut Lutetiae diutius locum tueri suum non posset.

Aureliam nunc concessit Volmarius, ibique ludum privatum selectis aliquot adolescentibus instituendis aperuit. Hoc officium ita gessit feliciter, ut mox de ejus fide ac dexteritate in formandis ingeniis plane mirifica et singularis esset existimatio. Itaque vel ex ipsa Lutetia in disciplinam ejus A. 1528 missus est *Theodorus Beza*, *puer*

novennis, qui abhinc, per omnem suam vitam, praeceptorem non alio quam optimi parentis loco habuit.

Aureliâ in Biturigum urbem (Bourges) a *Margaretha Valesia*, *Navarrae regina*, quae ab evangelica doctrina haud aliena esset, evocatus est Volmarius honesto stipendio ad graecas litteras publice profitendas. Erat tum academiae Bituricensis permagna celebritas, quod in ea nunc doceret Jureconsultus, suae aetatis facile princeps, *Andreas Alciatus.* Ad hunc audiendum cum etiam advenisset *Jo. Calvinus*, amicitiam iniit cum Volmario, ipsoque auctore atque etiam adjutore graecas litteras discendi initium fecit; utique hoc consilio, ut saniorem doctrinam christianam ex ipso fonte haurire posset: cujus beneficii memoriam gratus tenuit, et publice posthac testatam esse voluit Calvinus. Volmarius ipse, dum graecas litteras aliis cum laude traderet, persecutus studium jurisprudentiae, Alciati judicio legum doctor est creatus.

Retractus a socero ex Gallia in Germaniam, anno 1535 Calendis Majis valedixit Biturigibus, atque iter Lugdunum versus ingressus est; aegerrime passus, suum abs se Bezam divelli, qui et ipse nihil magis in votis habebat, quam praeceptorem in Germaniam prosequi, si per patrem licuisset.

Tubingam venit eodem anno (tricesimo quinto), ab *Ulrico Duce*, cujus magna tum cura erat Academiae suae constituendae, et magistris doctrinae famâ claris ornandae, invitatus: quod quonam auctore vel adjutore factum sit, etiamsi haud constet; vix tamen putaverim, longius eum ab vero aberrare, qui dixerit, praecipuas partes ea in re fuisse *Simonis Grynaei* et *Ambrosii Blareri*, quos primum ad reficiendam scholam ab Ulrico adhibitos fuisse novimus. Certum est hoc, quod *Paulus Phrygio*

aliquam adiret, academicos honores petiturus. Maluit autem anno proximo, a lectione juris civilis se abdicare, quae nonnemini *Christophoro Wiest*, obscuro quidem sed Doctori legitimo, demandata est. Ipse ad inferiorem facultatem descendit, litteras humaniores traditurus, in quibus plane excellebat.

Anno 1544 facultati artium, nomine Ulrici Ducis, nova eaque liberalior formula data est, in qua disertis verbis cautum Volmario, latinas graecasque litteras nunc et in Contubernio et publice profitenti, ne quidquam de honorifico, quo adhuc gavisus esset, Stipendio imminueretur. Illa formula postquam proximo anno a principe etiam declarata esset et confirmata; Volmarius nunc in consortium Facultatis artium receptus est, brevi post non modo Decanus factus, sed et summum civitatis scholasticae magistratum consecutus, kal. Maji 1547.

Erat Volmarius elegantiae in sermone latino studiosissimus, graecae autem linguae adeo peritus, ut Duci Wirtembergico affirmasse feratur, malle se causam in foro graece, quam germanice agere. Sed quamvis graece et latine scribendo excelleret, teste ipso Beza, idoneo sane judice, ita tamen simul ab omni ambitione remotus erat, ut, Tubingae dum esset, nihil ediderit praeter unicam *perelegantem praefationem*, *Grammaticae graecae Demetrii Chalcondylae*, *Basileae* 1548 *excusae*, praemissam, de ratione addiscendae linguae graecae. Praeterea, quod nemini adhuc observatum, *Confessionem* piae doctrinae, quae *nomine Christophori Ducis Wirtemberg.* per legatos ejus anno 1552 congregationi Tridentini concilii proposita est et Tubingae latine edita, *Volmarius gallice a se conversam edidit* Tubingae 1554. 8, sed proprio privatoque consilio, et quidem, ut mihi videtur, eo, ut

multis, qui in Gallia essent, veritatis evangelicae studiosis libellus ille prodesset. Et videtur omnino religionis studiosissimus fuisse, certe ob eximiam in pauperes munificentiam laudatur: praeterea mitis magis ac commodi ingenii, quam acris atque ambitiosi. Valetudinem etiam ante quam senium ingravesceret, expertus est infirmiorem. Quare, cum ob frequentiores morbos obeundo muneri publico imparem se cognosceret; petiit, quod viri probi est, honestam missionem anno 1556. Petitionem commendavit qui praesens tum esset Principis ad Senatum academicum Legatus, non sine honorifica meritorum ejus mentione. Extant in tabulis collegii philosophici ad annum 1556, quo Decanus erat *Georgius Liebler*, quaedam ab incerto quidem, sed coaevo, nec nullius auctoritatis teste adscripta verba, quae quin recitem temperare mihi non possum. Sunt haec:

> Sub hoc Decano Clarissimus Vir, *Melchior Volmarus Rufus* Erythropolitanus, Juris Doctor, cum, stipendio ducentorum florenorum conductus graecas latinasque literas magna cum sua laude, nec minore utilitate Scholae aliquot annis docuisset, senio morbisque confectus, honestissimam, quam petebat, a Senatu Scholae dimissionem est consecutus. Decretumque fuit ab eodem Senatu Amplissimo, ut illi, tanquam optime merito de Schola, in vitae suae tempus reliquum annui centeni floreni darentur. Docuit autem usque ad angariam Crucis, ac postea lectiones ejus, non sine Scholae incommodo, aliquandiu vacarunt, cum expectaretur ab Illustrissimo Principe Scholae reformatio, quam institueret.

Vitae scholasticae postquam valedixisset Volmarius, mox etiam, proximo anno (1557) valedixit Tubingae ipsi,

et familiam transtulit Isnam (Isny), oppidum imperiale Sueviae nostrae, patriam uxoris Margarethae, quam 23 antea annis in Galliam inde deduxerat. Isnae omne tempus sacris meditationibus, et concionibus audiendis transmisit, donec apoplexia correptus, postquam aliquot menses decubuisset, obiit anno 1561., eodem die etiam uxore ex animi aegritudine defuncta, ut simul elati eodem tumulo conderentur, quos sanctus amor totos viginti septem minimum annos conjunxerat.

Fuit Volmarius omnibus tum corporis, tum animi dotibus excellens, teste Beza, quem per omnem ejus vitam adeo sui amantem atque observantem habuit, ut rarum pietatis erga praeceptorem exemplum vere dici haberique possit *Theodorus Beza.* Primo poëmata sua illi inscripsit, inter alia his quoque verbis usus:

„Quem librum tibi commendare non dubitavi, partim ut ejus rei patrocinium suscipias, cujus tu mihi auctor fuisti praecipuus, partim vero ut, quum uni tibi plus debeam quam ceteris omnibus, meam erga te observantiam aut potius pietatem hoc munusculo testarer. Nec enim deerant permulti, quos vel dignitatis gratiâ, vel affinitatis, vel amicitiae, possem deligere, quibus etiam hoc qualecunque officii genus non ingratum videri potuisse scio: sed ii si cognoscent, quae tua in me constent beneficia, non dubito, quin *Volmarium*, quamvis externum hominem, sibi praeferri debuisse fateantur". — Deinde, cum annos natus viginti novem, abruptis omnibus vinculis, patriam, parentes, amicos desereret Th. Beza, ut verum Dei cultum palam amplecteretur, seque in voluntarium exilium reciperet Genevam (1548 mense Octobr.), mox, priusquam certi quid de ineundo vitae genere constitueret, Tubingam usque excurrit, ad Volmarium suum, ut cum

optimo praeceptore de rebus suis consultaret: e qua peregrinatione vix reversus, ad graecas litteras profitendas a Lausannensi Academia vocatus est.

Postea cum anno 1560 Genevam ad munus ecclesiasticum vocatus ederet idem ipse Confessionem christianae fidei latinam a se factam, hanc quoque nuncupavit suo Volmario, praefixa copiosa epistola, cujus exordium hoc est: Quoties anteactae vitae meae recordor — toties necesse est, ut innumerabilia tua in me beneficia mihi in mentem veniant, pro quibus cum parem tibi gratiam referre nullo modo possim, habere tamen constitui, sicut gratum hominem decet et acceptorum beneficiorum memorem. — Sed hoc est (subjicit), omnium beneficiorum, quod a Te accepi, longe maximum, quod verae pietatis cognitione, ex Dei verbo tanquam limpidissimo fonte petita, tu me ita imbuisti, ut nisi te, non dico pro praeceptore, sed pro parente colam et observem, omnium hominum sim maxime ingratus et inhumanus.

Verum etiam *Calvinus* voluit suae erga Volmarium observantiae publicum aliquod monumentum extare. Itaque commentario in alteram ad Corinthios epistolam literas praefixit ad Volmarium, Genevae Kal. Augusti 1546 scriptas, e quibus haec tantum cognoscite:

> — Verum nihil apud me plus valuit, quam primi temporis recordatio, quo ego, a patre missus ad discendum jus civile, graecas litteras te authore ac magistro, Legum studio permiscui, quas tunc summa cum laude profitebaris. Neque vero per te stetit, quin majores facerem progressus: manum enim, quae tua est humanitas, porrigere non recusasses ad totum stadii decursum, nisi me ab ipsis prope carceribus mors patris revocasset. Hoc tamen nomine tibi non

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI
DECANE SPECTATISSIME,

Quam humanissime requiris, venia parata est: at Tuâ Ipsius auditorumque veniâ praefabor nonnihil ad recolendam inter nos memoriam Doctoris theologi nostratis, qui cum maxime Constantinopolitano itinere, tum scriptis multis sua aetate inclaruit, *Stephani Gerlachii.*

Natus est anno supra millesimum quingentesimo quadragesimo sexto die Stephani Knittlingae (nach dem Tagebuch p. 536.), patre Georgio, cive honesto quidem at plebejo, lapidario, qui multis post annis a filiis majoribus, ex priori conjugio natis, persuaderi sibi passus est, ut relicta patria migraret cum familia in Moraviam, et fratribus Moravis, Anabaptistae qui tum audiebant, consortem se adjungeret, haud multo post defunctus, haerentibus ibi natis, nunc extorribus.

Meliore sorte Stephanus usus, cum litterarum prima rudimenta didicisset primo in schola Knittlingensi, deinde Möckmühlensi, traditus est, annos natus duodecim, in Stuttgardiense paedagogium, ubi duce *Joanne Wackero*, tum celebratissimo, brevi tantum profecit, ut puer annorum quatuordecim reciperetur in scholam Maulbronnensem (1560).

Magnum theologum, *Jo. Brentium*, ecclesiae Stuttgardiensis praepositum, habebat cognatione sibi propinquum; hunc, humanitatis atque officiorum erga alios haud

parum debeo, quod rudimentis saltim abs Te fui imbutus, quae mihi majori postea adjumento forent. Proinde aliter satisfacere mihi non potui, quam si ad posteros extaret aliquod gratitudinis meaę monimentum: et simul qualiscunque laboris tui fructus ad te rediret. —

Atque haec fere sunt, quae de Melchiore Volmario dicenda habui: quibus si id effecerim, ut virum memoria vestra dignum Vos judicetis, Auditores, non erit, cur me recitationis hujus vel pudeat vel poeniteat.

lachius theologiae eam operam dedit, non neglectis etiam *Jac. Schegkii* praelectionibus Aristotelicis, ut constanti, pertinaci studio illius colendae in hac academia, in Stipendio theologico persisteret annos fere sex continuos, donec anno septuagesimo tertio incideret *inopinatum iter Constantinopolitanum* (1573).

Maximiliano secundo Imperatori visum est, Constantinopolin ad Sultanum mittere Oratorem seu Legatum *Davidem Ungnad, baronem de Sonnek, Styrium.* Hic — cui patruus erat ille *Hanns Ungnad*, qui, alienus a Romana ecclesia, cessit patriis sedibus et ad nos Uracum se recepit, librosque per Slavicas gentes distribuendos edi suis sumtibus curavit (cf. Slavischer Bücherdruck in Würtemberg im 16 Jahrh. Ein litterarischer Bericht von Christian Friedr. Schnurrer, Prof. zu Tübingen. 1799. 8. p. 43 sqq.) — cum et ipse esset, patrui patrisque instar *Andreae*, evangelicis sacris addictus, versatus primo in Academia Wittebergensi, deinde etiam in Tubingensi, petiit a Duce Wirtembergiae Ludovico, velit sibi mittere juvenem theologum pium doctumque, quo ipse et comitatus uteretur concionatore et sacrorum curatore (Tagebuch p. 162.).

Nemo aptior singulari huic novoque muneri visus omnibus *Gerlachio*, in quo ad caeteras virtutes accederet quoque maturitas et consilii constantia; ipse primo recusans ob novitatem rei et discrimen, tamen, cum morae locus non esset, urgente *Cancellario*, *Jac. Andreae*, qui quod animo valebat diceret: filius si sibi esset, imperaturum se iter, nunc frater et amicus sibi cum sit, obtestari se et obsecrare, et accedente auctoritate Ducis, obtemperavit haud aegre. Proxima die Dominica publice ac solemniter in templo ordinatus Deoque communibus

precibus commendatus, illico discessit Tubingâ nono Aprilis die, comitantibus tribus amicis Reutlingam. Morbum in itinere gravem perpessus, sexto Augusti intravit Constantinopolin, ubi substitit abhinc quinque annos continuos, incolumis, ab omni injuria et discrimine tutus.

Memorabilis est haec commoratio eapropter, quod fecit, ut scripta communicarentur de doctrina christiana inter theologos nostrates et *Patriarcham Graecorum primarium, Jeremiam.* Nimirum *Martinus Crusius*, qui nullo non tempore promtissimus esset ad scribendum, etiam ad scribendum graece, in cogitationem incidit, litteras graecas Gerlachio discessuro tradendas scribendi ad Patriarcham, cujus ne *nomen* quidem fando unquam audiverat. Litteras suas noluit ignorare Cancellarium, Jac. Andreae; hic non probavit modo eas, sed etiam alias suo ipsius nomine ad eundem scribi a Crusio voluit (Crusii Schreiben ist gedruckt in Turco-Graecia pag. 410. Das Schreiben des Canzlers steht in Crusii Ms. XX. 30 e pag. 4). Addidit hic summam concionis a Cancellario, Gerlachium inaugurante, super evangelio de Bono Pastore habitae, a se in templo inter audiendum sermone graeco exceptae. Binis illis litteris nihil inerat praeter honorificam salutationem, et commendationem Gerlachii, qui non prius tamen Patriarcham cum litteris adiit, quam d. 15 Oct. 1573. (*Crusii* Ms. pag. 10). Hic cum deinde suaderet in litteris 17 Apr. anni septuagesimi quarti scriptis et huc allatis 13 Jun. ejusdem anni, conscribi brevem Confessionem a Theologis et graece mitti Byzantium; visum est, *Augustanam Confessionem mittere jampridem a Paulo Dolscio graece redditam typisque editam.* (Crusii Ms. XX 30 e pag. 24). Missa haec est 15 Sept. ejusdem anni unacum litteris Cancellarii, quibus

rogaret Patriarcham, velit, si quae sint quae non probentur Graecis, suam de his sententiam dicere. *Erat autem illa aetate nulla penes nos notitia ecclesiae graecae.* Non declinavit Patriarcha invitationem. Allatum est mense Junio anni septuagesimi sexti Scriptum ejus, Augustanam Confessionem — perstringens per singula capita; secus omnino quam spem fecerat suis litteris Gerlachius, consiliator. Constabat nunc demum de ratione graecae Ecclesiae, in multis a nostra alienae et cum Romana conspirante, at romani tamen pontificis auctoritatem et principatum detestantis.

Responsum est a nostris ad hoc scriptum, et deinceps quoque missum est *Heerbrandi Compendium theologicum, graece conversum a Martino Crusio*, consilium suggerente Gerlachio, deinde Ludovico Duce jubente et remunerante. Et haec quidem *prima* actio. Secuta est altera, nec non tertia. Protractum disputandi negotium *ultra* commorationem Gerlachii Constantinopolitanam.

Etenim commode accidit, ut qui tandem successor Ungnadio mitteretur a *Rudolpho* nunc Imperatore, *Joachim baro de Sinzendorff*, et ipse evangelicis sacris totus addictus, concionatorem secum duceret alium Würtembergensem, *M. Salom. Schweigker*, Sulzensem ad Neccarum, antehac alumnum principis in Stipendio theologico, sed mense Sept. 1576 inde egressum absque venia, exteras regiones lustrandi causa, et delatum Viennam, ubi ab ecclesiaste evangelico in Herrenals adhibitus est in societatem functionum ecclesiasticarum, Graecii ante examinatus et ordinatus. Hic a Gerlachio officia internuntii in se recepit haud invitus, reconciliaturus sibi Ducem Württembergiae, cujus gratiam quoque facile re-

[illegible] p. 12.), ut post reditum [illegible]e.

[illegible] haud tergiversans Con[illegible] septuagesimi octavi. Viennam [illegible] repetens, hinc Pragam, ubi Im[illegible]. Hinc in Moraviam abiit, [illegible] ex patria, migraverat pater cum suis. [illegible] confectus brevi obierat; vidit au[illegible] uterinas, fratremque germanum [illegible] a quo tam inhumane primo exceptus [illegible] porrigenti ille suam recusaret, dicens: [illegible] dextram porrigere nefas esse (v. Tage-

[illegible] visa Witteberga, Tubingam venit mense [illegible] septuagesimi octavi (1578). Ab hoc tem[illegible] fere pedem hac urbe extulit, nisi cum [illegible] Scholae tempore pestis, vel valetudinis cu[illegible] gratia in thermas ferinas, vel in negotiis theo[illegible] Stuttgardiam sive Bebenhusam ad conventus Theo[illegible] profectus est: reliquo omni tempore vel libris [illegible], vel in officiis sibi commendatis versatus est. [illegible]etter pag. 46)".

[illegible] post reditum proximo theologiae doctor solem[illegible] renuntiatus, brevi post ejusdem professor extra or[illegible] creatus est. Septimo dehinc anno in *Schnepfii* [illegible] successit, prof. ord. et ecclesiae decanus; triennio post Stipendio theologico datus est Superattendens, quo in munere qualem se exhibuerit, docent litterae ad illum nostri *Joh. Kepleri*, praedicantis paternam ejus voluntatem, qua se complexus fuerit atque ad locum Graecii in Styria obtinendum juverit, etiam commodata ad iter peragendum pecunia (cf. Erläuterungen pag. 475).

Atque in hoc gradu perstitit, Cancellarii quidem loco functus per annos octo continuos, sed cedens Andr. Osiandro. Obiit anno supra millesimum sexcentesimo duodecimo, senio morbisque prorsus confectus, ut ad lectulum sellamque defixus, eamque memoriae jacturam passus, ut sui etiam nominis oblitus esset.

Hafenrefferus, gravissimus judex, hanc (pag. 51.) de eo sententiam publice profatus est: „qui in scrutandis profunditatibus scripturarum, earumque mysteriis explicandis, iis maxime, quae circa personam Christi, et praedestinationis articulum contra Calvinianos, Jesuitas, et phantasma Huberianum versantur, *Gerlachio* nostro sit fueritque superior, ego quidem novi neminem".

De Actis illis Constantinopolitanis lubet quaedam subjungere.

Instituti negotii rumore orto, non enim clam furtimve agebatur, haud nihil curae suspicionisque invasit adversarios. *Stanislaus Socolovius*, Cracoviensis Canonicus, nactus alicunde *Responsum Patriarchae ad August. Confessionem*, *latine illud edidit* anno (1582) millesimo quingentesimo octogesimo secundo *Cracoviae*, non sine cavillationibus: Lutheranos confugisse ad Graecos, ab his voluisse in communionem recipi, hos judices communis causae constituisse, et quae sunt talia.

Novae statim Responsi editiones factae diversis in locis, cum novis calumniis. Igitur nostris decretum, Acta integra vulgare, non latino tantum sed *graeco* sermone, sic statuente Duce Ludovico. Quaesitus est typographus, et repertus tandem, cura *Polycarpi Lyseri*, Witebergae, qui accepta conditione de trecentis exemplis a Duce redimendis typis suis vulgavit librum, inscriptum *Acta et Scripta Theologorum Wirtembergensium et Pa-*

triarchae Constantinop. Dom. Jeremiae, caet. (1584 fol. Auf dem Titel ist in den Worten ab anno M. D. LXXVI ein Druckfehler, statt LXXIV) cum praefatione adversus Socolovium aliosque, acri sane et mordaci, ut temporis ratio ferebat, auctore *Heerbrando*.

Ad hunc librum referendi sunt alii duo: *Mart. Crusii Turco-Graecia*, cujus libro septimo multa tradita sunt de hoc negotio, et *Stephan Gerlachs des Aeltern Tagebuch*, seu Diarium, editum anno demum millesimo *sex*centesimo septuagesimo quarto a nepote Samuele, qui ex avi schedis illud utcunque concinnavit.

His tribus libris qui usus fuerit, profecto nisi plane iniquus dabit, non esse cur nos eorum pudeat, quae hac in re acta sunt a majoribus: etsi nostra etiam aetate non deessent, qui non abstinerent a carpendis illis, veluti cel. *Denis* in Memorabilibus bibliothecae Garellianae 1780 in commemoranda Crusii Turco-Graecia, commendans *Ge. Schereri Jesuitae* libellos; confutationes eorum a nostris profectas ignorans vel dissimulans. *Profecto omnia a Nostris acta sunt simpliciter, fideliter, honeste, nihil quaesitum fraude vel arte.* Equidem affirmare ausim, *casu* magis quam consilio rem omnem actam esse.

Martinus Crusius, negotii primus auctor, alicubi litteris consignavit, subito sibi nec tale quidquam cogitanti in mentem venisse, tentandum esse aliquid litterarum ad Patriarcham, postmodum ratus, divinitus hoc sibi suggestum. Absque Crusio non cogitasset de Patriarcha *Jac. Andreae.* Gerlachius vero non cupide, sed cunctanter magis litteras sibi traditas reddidit; nam Constantinopolin ingressus sexto Maji, demum quinto decimo Octobris accessit primum ad Patriarcham. Et quae litteris adjuncta erat Concionis de bono pastore summa, pa-

rum abfuit quin indignationem moveret Patriarchae, suspicantis Satyram esse, h. e. hortationem ad munus peragendum minus indiligenter. Deinceps, cum suadente Gerlachio mittenda esset Confessio, non erat Tubingae qui Augustanae Confessionis graecae exemplum haberet praeter unum Juris Doctorem et Institutionum professorem *Andream Laubmair*, suum qui subministravit. Haec erant rei principia et instituta.

Progrediente autem, praeter opinionem, negotio, integrum haud erat Theologis *suo* sensu uti et coeptis desistere. Intercedebat Ducis auctoritas, cujus judicio et voluntate gerebatur res omnis, non sine quadam ipsius delectatione. Certe, tertio Patriarchae responso quod oppositum est scriptum, (mense Dec. anni octogesimi primi) novimus (Crusius Ms. XX 30 f. pag. 509) non nisi *jubente* Principe missum esse, quamquam vix dubium nunc erat, non illud eo quo tendebat perventurum (constabat enim, Viennae remoram habere nunc quae mitterentur). Sed nolebat Dux non regeri quidquam Patriarchae.

Ego vero temperare mihi non possum, quo minus aegre feram, non usum esse Gerlachium opportunitate Constantinopolitana alio consilio, ad *arabicas* litteras colendas. Inciderunt in hanc ipsam aetatem primi conatus in occidentali Europa occupandi hoc litterarum genus, inter Batavos magni *Scaligeri*, et *Raphelengii*, in Gallia Jsaaci *Casauboni*, in Anglia *Bedwelli*; nec in Germania deerant, qui illas captarent; in ipso Palatinatu nobis proximo tentata res non absque eventu. At Tubingae nulla tum de ea cogitatio. Scripsit Gerlachius ad Heerbrandum Constantinopoli 26 Nov. 1575. „Linguam Turcicam vel Arabicam discere non vacat, nec fidelem hominem habere possem“. (Crusius Ms. XX 30 e pag. 123). Haec ille.

At opinantis haec erant, non experti. Novimus vero *Jacobum Golium*, novimus *Edw. Pocockium*, utrumque principem in arabicis litteris, saeculo decimo sexto petisse Constantinopolin, et Constantinopoli demum evasisse in principatum. Quinquennio continuo quantum efficere poterat Gerlachius, in matura aetate, antehac assuefactus firmitati et constantiae in litteris tractandis! Verum, sic sane videmus accidere nonnunquam inter homines, ut sint, qui quod praesto est et in medio positum, insuper habeant negligantque, aliis id ipsum requirentibus studiose atque etiam e longinquo petentibus.

Arabici sermonis peritiam Gerlachius si reportasset et librorum arabicorum copiam vel mediocrem, sane id factum esset tempore prorsus convenientissimo.

Proximo post ejus reditum anno professor linguae hebraicae hic constitutus est *Georg. Weiganmeir*, ardens incredibili cupiditate discendi etiam arabicum sermonem, qua ductus posthac in Italiam profectus est, nunquam inde redux, morbo lethali oppressus. Quam vero avide arripuisset ille ex Gerlachio litteras advenas, quo studio coluisset, quo successu tradidisset aliis! Nobilitari *his* poterat schola nostra magis quam istis concertationibus cum hominibus graecis illis minus ingenuis liberalibusque. Sed erat Lugduno - Batavae Academiae, cui Deus faveat! arabicas litteras instaurare et fovere, Nostrae sufficit, restaurasse Hebraicas.

Notulae, momenta orationis historica illustraturae.

Gerlach schreibt dat. 17 Apr. 1574 pr. 13 Jun. ej. an die hiesigen Theologen, nach dem Auszug von Crusius, Ms. pag. 24.

Suadet (Gerlach) conscribi brevem confessionem a Theologis nostris et Graece Byzantium mitti.

Ein Schreiben des Canzlers vom 15 Sept. 1574 begleitet die überschikte Augsb. Confession „der Patriarch möchte τὴν σοφωτάτην εαυτῆς „περὶ τούτων (quae non consentiant cum graeca Ec- „clesia) κρίσιν ἐννοϊκῶς δηλοῦν (Ms. pag. 60)".

Ein wenig Anders heifst es Turco-Graeciae pag. 488.

„Die Uebersendung der Augsb. Conf. geschah noch ehe das erste Schreiben vom Patriarchen nach Tübingen gekommen war". Dieses steht Turco-Graeciae pag. 420.

24 May 1575 wird die Augsburg. Confession von Gerlach dem Patriarchen übergeben (Tagebuch p. 94).

15 May 1576 wird die Antwort dem Gerlach ins Haus gebracht (Tageb. p. 193).

20 May — geht sie in Constantinopel ab. (Tageb. p. 198).

18 Jun. — war sie schon in Tübingen. Crusius Ms. pag. 325 sqq.

Socolovii Responsum I wird gleich nachgedruckt, zu Dilingen, und auch zu Cöln, pag. 590.

Scherers, des Jesuiten, Schrift, pag. 612.

Heerbrands Antwort, pag. 632.

Die Bedingung des Druckers zu Wittenberg wird genehmigt, dafs der Herzog von Würtemberg 300 Exemplare des Werks gegen Bezahlung ihm abnehme. pag. 632.

Das Werk könne erst zu Ostern 1584 fertig werden. pag. 658.

VII.

De

JACOBO HEERBRAND,

THEOLOGO ET CANCELLARIO TUBINGENSI

ORATIO CANCELLARII

HABITA 1810.

Superiore anno *de Stephano Gerlachio* quum verba facerem, illud maxime agendum putavi, *ut intelligeretur, quonam auctore agi coeperint, quo modo animoque deinceps acta sint, quae sunt acta de religione inter Patriarcham graecae ecclesiae Constantinopolitanum, et Theologos Tubingenses.* In quibus cum permagnas partes habuerit *Jacobus Heerbrand*, tum professor theologiae, postea ecclesiae Praepositus scholaeque Cancellarius, visum est, ni grave sit Vobis, auditores, dignissimi viri nunc recolere memoriam.

Patria usus est Gienga, libera tum Germaniae civitate, nunc municipio Württembergico, ibi natus A. 1521. 12. Aug., patre opifice, textore, non tamen litterarum rudi, nec latinarum experte, eoque jam imbuto Lutheri doctrina, ex libris ejus lectis hausta: quapropter et natum pater a teneris ita instituit, ut sacrae Scripturae loca praecipua memoriae infigeret haberetque parata. Octo fere annorum puer patrem comitatus, opus textorium perferentem Medlingam in monasterium virginum sacrarum, ab Abbatissa sibi oblatum munusculum, Rosarium quod dicitur, modeste recusavit, asserens, preces facere se posse, etiam non *numeratis* illis ad orbiculos: cumque Confessarius monasterii vocatus graviter increparet puerum, dicens: tu haeretice, vix utero materno exclusus es, cur respuis munus Abbatissae? et hic regereret: quia nihil prodest; non enim pater coelestis praecepit *numerare* pre-

ces; ille ad patrem conversus dixit, stultitiam pueri *virgis* esse depellendam: puer autem cum negaret *stultitiam* esse et *Dei* verbum assereret; Confessarius indignabundus *hanc* vocem emisit: heus, puer, ego tuus ero vates, aut extreme malus, aut egregie bonus, et magnus vir evades.

Primo frequentavit puer scholam patriae urbis qualemcunque, unius magistri curae omnem commissam, assiduus in legendo Bibliorum latinorum exemplo, Lugduni 1519. 4. edito, a patre ipsi emto; quo abhinc per omnem vitam *uno* usus est, quod adscriptis a se notationibus ita implevit, ut loci haud quicquam reliquum esset, ita usu detrivit ut quaedam legi non possent (Orat. pag. 42.), ita familiare sibi reddidit, ut e vestigio, quod quaereret, deprehenderet, quod senex etiam tanto in pretio habuit, ut centum florenis carius sibi judicaret. Sed cum ipse audiret, Ulmensem scholam bene, ut ferebant illa tempora, constitutam esse (praef. ad. Comp. Theol.), non conquievit, donec a parente, capiendi ingenii uberioris cultus gratia, in eam deduceretur adolescens quindecim annorum; in ea igitur linguarum et artium fundamenta posuit (A. 1536).

Anno saeculi trigesimo octavo, aetatis decimo septimo, missus est a patre in scholam, omnium tum celebratissimam, Wittembergensem, ut duos illos praeclarissimos viros haberet doctores, Martinum Lutherum, et Philippum Melanchthonem.

Et audiebat utriusque omnes praelectiones assidue, studiis ita totus deditus, ut, quod sodalitia omnia vitaret, a quibusdam convictoribus *Noctuae Suevicae* nomen deportaret; temporis tam mire parcus, ut ne *deambulationibus* quidem quidpiam illius tribueret, et illarum gratia

nunquam pedem portis efferret, per integrum quinquennium. Hoc peracto, ea ratione, ut, Magistri gradum et jura adeptus, aliis privatim instituendis, ipse studiorum sumtibus prospiceret, nullis nunc parentum impensis, et, habitis concionibus, a Melanchthône sibi oblatam ecclesiasticam conditionem modeste recusaret, *diutius* theologiae operam daturus, rediit in patriam, non ut valediceret academiae, sed ut salutaret suos. At parentes, ubi filius *domi* specimen concionandi edidisset, omnibus probatum, noluerunt eum repetere Wittembergam, sed suaserunt, Stuttgardiam adire operamque suam offerre.

Factum hoc mense Augusto anni quadragesimi tertii (1543), cum annos viginti duos natus esset Heerbrandus.

Erat hoc tempore eorum, ecclesiastico muneri qui apti essent, in hoc Ducatu permagna penuria. Erat vero adhuc in magna apud Ulricum Ducem gratia et auctoritate Mag. Erhardus Schnepfius, penes quem *unum* tunc omne, ministros ecclesiae recipiendi, arbitrium, potestas omnis. Hunc cum adiisset Heerbrandus, et propositis *duabus* tantum quaestionibus bene satisfecisset, statim ille hanc vocem emisit: *Dominus te mihi obtulit!* Voluit igitur Goeppingensi parochiae, quacum conjuncta erat vicinarum gubernatio, praeficere juvenem annos viginti duos natum. Ipse vero maluit, Tubingae Diaconi munus, eo tempore vacuum, sibi deferri, ut opportunitatem nancisceretur prosequendi studia theologica. Hoc munere functus est praeclare, ultra quinquennium, coelebs, victum capiens in Stipendio ducali, suo sed tolerabili pretio: ubi primam in Arce concionem habuisset praesente ipso Ulrico Duce, huic ita sese probavit, ut consiliariis suis Dux eum commendaret, magnum aliquando futurum Theologum praedicens.

Inciderunt calamitosa tempora, magnae rerum perturbationes. Ortum est bellum Smalcaldicum; quo brevi profligato a Caesare Carolo patria nostra cessit copiis hostilibus.

Formula religionis Interimistica dicta promulgata, et quidem Tubingae die Martini, anno quadragesimo octavo.

Ab hoc die vacavit ab officii administratione Diaconus, nunc maritus, sed qui nollet amplecti istiusmodi formulam. Otio nunc abundabat, sed ita utebatur otio, ut litterarum studiis omne tempus daret. Anno quinquagesimo cum huc veniret Oswaldus Schreckenfuchs, hebraicarum litterarum peritissimus, antehac Bietigheimensis ludi magister, usus ille hac opportunitate, tum minus frequenti, ut privatam ejus institutionem unacum aliis quibusdam, posthac clarissimis, viris conduceret.

At mortuo Ulrico cum successisset filius Christophorus, successit quoque alia laetiorque rerum facies. Brevi res ecclesiasticae repurgatae, coetibus legitimi doctores restituti. Nunc, anno quinquagesimo primo (1551), Heerbrandus constitutus est pastor Herrenbergae. Haud procul inde abest pagus Eningen, ubi Johannes Brentius, volente Christophoro Duce, tum secessum nactus est atque otium cum dignitate. Venit subinde Herrenbergam ad salutandum pastorem, et inter alia *laetari* se dixit ipsius conspectu. Quoties, inquit, te video, toties gaudeo.

Quaerenti Heerbrando causam, respondit: Nam et *Tu* ecclesiam *docendo* juvabis, longe lateque sinceram doctrinam sparges et propagabis, eris ecclesiae praesidio et ornamento. Nec dictis defuit eventus. Theologiae Doctor hic solenniter renunciatus, praesente patre, non modo locum habuit inter primarios ministros, vocatos Stuttgardiam, ad Wirtembergicam Confessionem, scrip-

tam a Brentio, examinandam confirmandamque, sed et ipse missus est, cum Brentio, Beurlino, Vannio, Tridentum ad eandem coram Concilio defendendam. Unde reversus indicta causa, coepit omnem operam impendere Patrum ecclesiasticorum scriptis cognoscendis, tribuitque his legendis annos quatuor cum dimidio, ut Patrum sententias de omnibus theologicae doctrinae capitibus in locos communes digereret; quod ipsi, deinceps contra adversarios scribenti et disputanti, permagno erat usui ac adjumento. Absoluta patrum lectione, anno quinquagesimo sexto expetitus a Carolo, Marchione Badensi, ad reformandam suae ditionis ecclesiam, ipsique a Christophoro Duce concessus ad unius anni spatium, familiam transtulit Pforzhemium, ubi Ordinationem ecclesiasticam conscripsit, eodem anno nomine et auctoritate Caroli principis promulgatam. Sed cum vix duos menses abfuisset e patria, factum est, ut Theologiae professor ordinarius in hac schola nostra constitueretur (1557). Peracto igitur anno, rebus in Marchionatu bene constitutis, professionem academicam exorsus est feliciter. Ordinaria ejus lectio posita erat in Pentateucho interpretando. Atque hunc pertractavit *quatuor* vicibus, quadraginta annorum spatio. Summopere laudatur viri in obeundis muneribus fides et facultas. Docendi rationem dicitur secutus esse maxime eam, quam ipse ex magistro didicerat, Melanchthone. Scripsit ediditque quam plurima, Disputationes academicas octoginta et amplius, quarum anno octogesimo octavo septuaginta et aliquot, quae tum prodierant, iterum editae Wittembergae, praeter disputationes, orationes, conciones, multa et varia opuscula et opera, maximam partem polemica, contra Calvinistas et Jesuitas: quare factum est, ut adversarii, *nomine* auctoris ludentes, ut fe-

rebat temporis ingenium, illum vocitarent *Hoell*brand, infernalem titionem. Neglecta haec sunt, obsoleta sunt hac *nostra* aetate, ut vicissim, nostra aetas quae tulit, plurima obsoleta erunt posteris. At sunt tamen *duo*, quae nullo non tempore pretium habitura videntur, Oratio funebris de Phil. Melanchthone, et Compendium Theologicum.

Anno sexagesimo, cum mensis Maji die nona ex litteris ad se scriptis accepisset Heerbrandus nuntium de morte Melanchthonis, ipse mox die decima quinta ejusdem mensis orationem publice habuit in obitum viri incomparabilis, intra dies quatuor conscriptam, sed eximiam, luculentam, quae multa refert minus vulgata, inprimis de rebus Melanchthonis *Tubingensibus*. Quam vero plena sit pietatis discipuli erga praeceptores, cognoscite ex brevi hoc dictorum specimine:

Ego certe, etsi probe meae tenuitatis mihi sim conscius, nec tantum profecerim *hoc* praeceptore quantum debueram, tamen hanc summam felicitatem, quae mihi in terris contingere potuit, judico, quod mihi, toto quinquennio, duos istos Heroas, Martinum Lutherum dico et Phil. Melanchthonem, praeceptores meos perpetua observantia colendos, audiendi copia sit facta.

Et quod Irenaeus de Polycarpo, qui fuerat discipulus Joannis Apostoli, scribit — id de me verissime possum affirmare, me *adhuc* non modo voces horum virorum in auribus tinnientes audire, sed adeo tenaciter menti meae insculptas et impressas quasi ipsorum *effigies*, ac si oculis hisce praesentes coram assistere cernerem, iisque me saepe oblecto, ac spero, me suo tempore illos in beata illa vita denuo visurum, (cum illis) collocuturum ac conversaturum.

Iterum edita fuit haec oratio a Reformatis, Neapoli Nemetum, 1598. et nostra etiam aetate repetita a Strobelio, in Miscellis (Miscellaneen litterar. Inhalts, 6te Sammlung 1782), digna certe quae legatur.

Compendium autem *theologicum methodi quaestionibus tractatum* editum est Tubingae anno septuagesimo tertio. Primus hic inter nostros erat conatus doctrinae christianorum repurgatae ad *disciplinae rationem* summatim tradendae, post editos celebratissimos illos a Melanchthone Locos communes, cujus etiam maxime modum ac ordinem tenuit noster, in omnibus tamen doctrinae formulis ipsi non semper consonus, sed Brentii ac Andreae partes secutus. Successus libri erat hic, ut, teste ipso auctore, typographus brevi intervallo multiplicatis exemplis, et multis millibus excusis, emtorum tamen aviditati satisfacere vix posset, utque liber aliis etiam in locis, Lipsiae, Wittembergae, Magdeburgi repeteretur. Quare motus auctor recognovit suum opus, idque auctius, et duplo fere amplius edidit anno septuagesimo octavo. Editionis primae exemplum secum Constantinopolin attulerat Gerlachius; hic Patriarchae adeundi copiam nactus, cum mentione libri facta cognovisset, Patriarcham non alienum fore ab illo cognoscendo, consilium suggessit theologis nostris mittendi illum *graece conversum*; conversus igitur est, Ludovico Duce jubente et remunerante, a Martino Crusio, et versio Constantinopolin missa pro Patriarcha, ab hoc autem ut videtur nunquam cognita. Postea cum librum auctiorem edidisset auctor, Crusius quoque suam versionem resumsit eamque novae editioni accommodavit. Et typis descripta ac vulgata est haec graeca versio unacum latino textu Wittebergae anno octogesimo secundo, in 4. spisso volumine. Ex majori nunc

Compendio Epitome facta ab ipso auctore, prodiit Tubingae anno octogesimo secundo, ex Principis mandato destinata Alumnorum Ducis et Stipendiariorum usui, et ipsa novis editionibus repetita. Principatum inter nos obtinuit haec doctrinae formula, donec sensim locum concederet Matthiae Hafenrefferi libro, inscripto: Loci theologici, de quo dictum est alio tempore.

Inter *Exteros* quoque praeclara erat existimatio Heerbrandi, nec deerant invitationes perquam honorificae. Anno sexagesimo secundo vocatus est a Saxoniae Ducibus Jenam, largissimo stipendio, mille florenorum oblato.

Provectior aetate expetitus A. 1576 ab Hassiae Landgraviis pro schola Marburgensi repurgata, commendavit Aegidium Hunnium Winnendensem, dicens, se imitari Jo. Reuchlinum (ex Hutteri Orat. de Hunnio), qui evocatus a Friderico Saxoniae Electore Wittebergam, misit suum Phil. Melanchthonem, se senem longe superaturum.

Ipse noluit locum mutare, nec habebat sane, cur aliam fortunam experiretur. Erat enim hic in maximo pretio, erat quoque in lauta re familiari, nactus a socero praedia multa et optima, fundos, prata, vineas, hortos, quibus haud parum delectabatur; quapropter etiam e terris remotioribus, maxime ex Styria, Carinthia, Carniola, generosos sibi surculos et varia semina adferri sibi providebat, quibus inserendis, plantandis, curandis honestam voluptatem consectatus est. Rem familiarem omnem curabat conjux, foemina solertissima: ipse omnis vacabat suis muneribus, firma etiam utens valetudine, Dei beneficio et conjux beatus et parens. Et tulit etiam fidei constantiaeque praemium.

Mire accidit, ut, cum ipse anno octogesimo nono ablegatus esset a Principe, unacum Jacobo Andreae, Prae-

posito et Cancellario, Badenas Marchicas ad Colloquium cum Pistorio habendum, quadam die (septima Novembris) cum familiarius colloquerentur, *Jacobus Andreae*, recte valens et annis fere septem *minor*, his ad illum verbis uteretur:

non longo tempore superstes ero, brevi moriar, tu mihi parentabis, et in locum meum succedes.

Et respondit dicto eventus. Mortuus est Jac. Andreae proximi Januarii die septima, oratione funebri illum laudavit Heerbrandus, inque ejus locum successit eâdem Novembris die septima, qua illa praedictio facta erat, solemniter confirmatus a Ludovico Duce, hîc in arce sua praesente.

Verum, ut humanarum rerum conditio variabilis est ac inconstans, minus immunis erat a calamitatibus reliqua vita. Et quidem domesticas brevi complures expertus est. Orbatus est filio, mox etiam filia. Duplicem hanc jacturam passus, corporis animique vires decrescere sensit, difficulter incedere memoriâque deficere paulatim coepit: quapropter sponte se abdicavit munere ecclesiastico, habita ultima eâque solenni concione, cum ecclesiae Tubingensi inserviisset totos annos quinquaginta duos. Insecutum est brevi tertium vulnus, idque multo acerbius; amisit conjugem, quacum supra quinquaginta annos vixerat amantissime. Senex, nullos unquam expertus morbos, nunc incessu ita laborans vix ut duci, nedum ire posset, *docendi* nunc quoque munere se abdicavit, postquam in schola hac docuisset annos supra quadraginta unum. Proximo anno *sponte* decessit ipso etiam munere Cancellarii Praepositique, malens, *sibi* deesse officium, quam officio, cui impar ipse factus esset, *parem* deesse. Decretus illi est successor ille, quem diximus, Aegidius Hunnius, nunc

Wittemberg. scholae theologus celeberrimus. Emeritus senex interrogatus: ut successor placeret? respondit: placeret utique, si modo praesens esset. Sed nunquam ille praesens factus. Saxonia patriae illum reddere tergiversata, et ipsa haud multo post amisit properante morte abreptum.

Noster accepta missione honestissima superfuit annum integrum et quod excurrit.

Solutus nunc omnibus curis negotiisque, si quid ferebat subaegre, *otium* erat et perpetua cessatio a studiis, per longam vitam nunquam non occupatus, ut nec otium ipsi esset otiosum. Nullis enim doloribus erat obnoxius, nec morbo laborabat nisi senecta. Sic vitam trahebat, pie patienterque maturam discessionem appetens, donec soporis gravitate pressus per aliquot dies, tandem placide et composite exspiravit aetatis anno septuagesimo nono fere exacto, exstinctus ut lampas exstinguitur oleo deficiente; postremus, his quidem in terris, certe in hac schola unicus, ex numero eorum, qui *Lutheri* doctrinam ex ipsius *ore* perceperunt, magistro haud indignus discipulus, nostrâque pia gratâque memoria dignissimus.

VIII.

De

MATTHIA HAFENREFFER,

THEOLOGO ET CANCELLARIO TUBINGENSI,

ORATIO

CUM

PROGRAMMATE
DE CRITICA HAFENREFFERIANA
N. T. EDITIONE.

1808 ET 1780.

Animus est, memoriam recolere *Matthiae Hafenrefferi*, Cancellarii quondam nostrae litterarum universitatis dignissimi: quem ex quo, diu abhinc, cognitiorem mihi reddidi, non potui non suspicere maximopere, cum ob permultas ac insignes quae in eo conspicerentur virtutes, tum eapropter etiam, quod is *Wilhelmum Schickhardum*, primo, juvenem suo quasi exemplo incitaret formaretque et filii instar foveret, deinde etiam juvaret sua auctoritate ad obtinendum in hac schola nostra locum, in quo mox ille emineret. Schickhardi autem memoriam mihimet carissimam, et quasi in deliciis esse, et sunt inter Vos, Auditores, qui haud ignorant, et publice adhuc profiteri, et prae me ferre tantum abest, ut ego erubescam, ut potius in eo placere mihi videar.

Natus est *Hafenrefferus* saeculi decimi sexti anno sexagesimo primo in pago Lorch, cui impendet in colle situm nobile illud Monasterium. In primis litterarum rudimentis magistro usus est quodam Conrado Thaner, qui antea monasterii Conventualis, nunc privatus homo vitam agebat in pago, otio utens et constituto a Principe stipendio (quam prorsus eandem sortem novimus hac nostra aetate evenisse permultis Monachis). Brevi ille ita profecit, ut posset ad publicas scholas in monasterio hospes accedere, et mox locum obtineret inter ipsos alumnos. Nimirum illo tempore ea adhuc locum habebat rerum apud nos ratio, ut singula quatuordecim monasteria patriae (praeter Herbrechtingense) Collegia alerent, quae

qualemcunque speciem pristinae disciplinae referrent, nempe Scholas, in quibus, juvenum dicam an puerorum? coetum ad ecclesiastica studia pararent, Abbate moderante, bini praeceptores. Itaque anno aetatis decimo quinto nondum expleto, in monasterium Sanct. Georgianum receptus est, et, decimo mense vix ibi absoluto, promotus in superiorem scholam Hirsaugiensem.

Hic dum versaretur, pro more istius temporis a Tubingensi Collegio Philosophiae et Artium ad Examen vocatus cum caeteris commilitonibus, publice exornatus fuit Laurea prima. Biennio post, anno septuagesimo nono, in Stipendium nostrum theologicum translatus, studia sua, linguas et artes tractavit tam strenue feliciterque, ut quum, nondum exacto hic biennio, Magister renunciaretur, *secundum* inter commilitones locum obtineret — *primum* suo jure occupabat Vitus Müller, famulus Stipendii. Ille praeter Logicam non latinas tantum litteras inprimis coluit et graecas, sed hebraicam quoque et chaldaicam linguam sibi reddidit familiarem: Mathematica quoque tractavit cum magno successu; et laudantur instrumenta ab ipso partim delineata, partim quoque fabrefacta.

Sic eximie praeparatus accessit ad Theologiae studium, in quo quam religiose versatus sit et diligenter, constat fide commilitonis, gravissimi viri, qui testis est, summo mane, saepissime quoque ante signum datum, illum lecto excessisse, piis precibus factis ad studia accessisse, his adeo inhaesisse tenaciter, ut non raro per complures horas continuas ne semel quidem a mensa surgeret, et respirationi spatioli quidquam concederet: in multam quoque noctem ut plurimum, lucubrantem desedisse, donec spiritus ipsum prope deficeret, et exhaustae vires tandem noctis partem aliquam perbrevem, somno et refectioni

fectioni

fectioni dandam, vi quadam ab ipso extorquerent. Accessisse ad hanc in studiis diligentiam morum elegantiam insignem, in qua gravitas sine austeritate, comitas sine levitate, mansuetudo sine nimia familiaritate, candor sine fuco, charitas sine fictione effulgerent. Quibus factum est, ut praeceptoribus charus, aequalibus acceptus, junioribus suspiciendus haberetur.

Absoluto tempore academico Repetens Stipendii factus, mox anno octogesimo sexto (1586) Diaconus Herrenbergae constitutus est, duxitque uxorem summi Joannis Brentii nostri, at dudum defuncti, filiam, tunc viduam. Biennio post, ut uberiore sorte frueretur, factus est — Parochus in pago Ehningen, Herrenbergae vicino. Sed non diu haesit in loco. Factum enim erat, fortuito ut videri poterat, sed sane Deo ita moderante, ut eo ipso die, quo Herrenbergae sacris publice fuit initiatus, adesset Würtembergiae Dux imperans, Ludovicus, et interesset ipse sacris solennibus, novumque diaconum postea concionantem praesens audiret. Nunc, quum de *aulico* Concionatore constituendo ageretur, Dux ipse, bene memor Hafenrefferi, voluit ut inter plures, qui vocarentur et ab ipso Principe concionantes audirentur, esset quoque Ehningensis parochus. Et hic palmam tulit, hic probante Principe et suadentibus consiliariis, anno octogesimo nono cooptatus est in ordinem aulicorum Concionatorum, additusque collega Osiandris duobus, Lucae, patri, posthac ex munere dimisso, et Andreae, filio, postmodum Cancellario: quibuscum amicissime nunc vivebat et conjunctissime; medias inter occupationes ex gravissimo munere, theologicis studiis semper, et magis etiam nunc quam antea deditus, in consiliis ecclesiasticis prudens et promtus, in concionibus nervosus et profundus,

insigni tamen cum perspicuitate, in vita omni humanus, mitis, recti exempli, bonis omnibus probatus, et Duci ipsi etiam commendatus. Verum neque haec, certe honorifica, statio diuturna fuit: fuit alia, in qua una ipsi esset consistendum.

Mortuo Jacobo Andreae cum successisset Jac. Heerbrand, tertius in theologicae facultatis collegio professor sacrarum litterarum erat substituendus.

Dignissimus habitus Hafenrefferus quamquam nullo tunc edito scripto clarus. Sed reluctabatur animus Ludovici Ducis, qui aegre ferebat, spectatae fidei et integritatis virum, suum Confessionarium, a se dimittere. At vicit tamen cogitatio *publici* commodi. Concessus est vir eximius scholae nostrae, ut et sacras litteras publice traderet, et Stipendii theologici curam gereret. Cui gravissimo muneri, suscepto anno nonagesimo secundo, per annos viginti sex integros et continuos praefuit ea fide et cura, ut major vel ab ipso, vel ab alio quoquam requiri non potuerit. Theologiae Doctor solemniter renunciatus in hoc auditorio (anno 1592), abhinc in praelectionibus publicis veteris testamenti libros propheticos omnes commentando illustravit, disputationes habuit frequentes, ampliora etiam subinde opera edidit, quae haud vulgarem auctori famam conciliarent. In Stipendio gubernando curam omnem adhibuit, omnem fidem praestitit, affectu paterno complexus commissos sibi Stipendiarios omnes. Servatur penes me exemplum libri theologici, Wilhelmo Schickhardo, eodem quo hic summos philosophiae honores capesseret die oblatum, cui sua manu auctor peramanter inscripsit haec:

Filio suo charissimo M. Wilh. Schickhardo, in sacrosanctae Theologiae Studii incitamentum offert, et Sancti Spiritus gratiam precatur Matthias Hafenreffer D. 17 Jul. 1611.

Sed, quod mallet vir optimus amanter agere quam severe, nec posset a se, nisi enormiter coactus, impetrare, ut severitati locum daret, minus hisce partibus, quam aliter fieri et poterat et debebat, satisfecit. Exeunte saeculo decimo septimo, remissior facta ac fere soluta disciplina, impunitatem ut fit consecuta licentia atque audacia; missa etiam subinde a Superioribus Edicta asperiora, quae turbatum statum Stipendii reprehenderent graviter, et Inspectores etiam ad auctoritatem revocarent.

Denique anno decimo septimo (1617) Noster altiorem, quem hîc apud nos reliquum haberet, gradum consecutus est, mortuo Cancellario, Andrea Osiandro, cujus ipse antehac collega Stuttgardiae fuerat, successor constitutus. At hoc postremo munere brevi ille defunctus, qui per aetatem poterat superesse annos complures. Sed visum est Deo Optimo Maximo, eripere rebus humanis mitissimum hominem, antequam irruerent tristissima illa funestissimi belli tempora, quibus parum abfuit quin ad incitas redigeretur Schola nostra unacum patria universa. Et non tantum *opportuno* tempore obiit, sed eam quoque moriendi felicitatem nactus est, quae paucioribus obtingit, ut fere subito, in ipsius muneris partibus obeundis, exspiraret.

Quod ipse animo praesenserat, quod dudum aperierat filiis, quod repetere inter domesticos et familiares so-

lebat; futurum ut in lecto aut alibi fato jam functus offenderetur, factum.

Anno decimo nono (1619), Octobris die vicesimo secundo, in facultatis theologicae consessu, praesentibus collegis, totum pomeridianum tempus, usque ad noctem, gravissimis insumsit negotiis; dimidiâ vero sextâ horâ domum, non male habens, regressus, sumto calamo in chartam negotium aliquod valde arduum conjicere inchoans, vix decem duodecimve lineis absolutis, in sella sedens paululum supinus, dormientis instar reclinatus, calamum in manu tenens, a suis est inventus: subitanea apoplexiâ correptus, spiritum quidem traxit, sed brevi, sine ullo mortis sensu, circa omne ullius doloris indicium, exspiravit; natus tantum annos quinquaginta octo, menses quatuor.

Qua eâdem prorsus aetate, vix pauculorum dierum discrimine, vita functus est etiam desideratissimus noster, optimus noster *Storrius*, nostratium theologorum, quos ipse cognitos habeo, omnium nulli (si doctrinae genus spectes animique indolem) aeque comparandus ac Matthiae Hafenreffero.

Indoles maxime conspiciebatur in singulari *modestia*, conjunctâ, ut fere non potest non esse, cum *lenitate*. Et lenitas quidem tanta erat, ita totum animum occupabat, ut quod supra diximus etiam nimia esset, et salutari etiam severitati locum non concederet.

Modestia effecit, ut nunquam muneris vel honoris quidpiam ambiret: ex pago praeter omnem opinionem tractus est in aulam; ex aula in cathedram academicam, quantumvis precibus intercederet, fere invitus ductus; Cancellarius factus, non modo non petens sed fere re-

luctans. Cumque non deessent qui dictitarent: Hafenrefferi *personae* magis consultum esse quam muneri Cancellariatus (forte, quod putarent, auctoritate illum minus valere), ipse, haec aliunde edoctus, tacite istiusmodi voces ferebat et placide. Rem familiarem ita tractavit, ut haud multum curae tribueret illi augendae. Crebro laudabat Jo. Brentii, soceri, pulcherrimum factum, quo honorarium centum aureorum, sibi a Christophoro Würtembergiae Duce oblatum pro dedicato in Epistolam ad Romanos commentario, modeste recusavit, ne videretur quaestum facere velle ex Theologia. Crebro ingenue profitebatur: non posse se simul et sacrosanctis Bibliis scrutandis et profanis divitiis coacervandis studia curasque impendere. — Ita vero factum, ut subinde ad conjunctiorem amicum talia profaretur: „Ille et iste, hic et alii non minus olim pauperes fuêre quam ego, illi tamen hodie pecuniosi sunt, opulenti sunt, multa millia numerant; at Ego semper Hans in eodem". Ipse quidem temperanter vivebat et frugaliter: siquando corpori vacandum esset, secessus quaerebat, et plerumque in hortis suburbanis se vel studiis meditationibusque, vel otio et colloquio cum amicis tradebat.

Sed *hospitii* ea erat facilitas et promtitudo, ut Hafenrefferi mensa sine hospite esset fere nunquam; ut ipsius domus exciperet advenas, quos alii Theologi repellebant, et ne caupones quidem erant admissuri. Refert Lansius lepidam historiam de istiusmodi homine, qui Comitem Italum se venditabat, religionis causa domo profugum, et sacris hospitii abutebatur turpiter. Et vero haec omnis oratio Thomae Lansii videtur et habita et edita fuisse eo maxime fine, ut multi sinerent se excitari ad juvandam viduam cum prole opibus destitutam.

Doctrinam abunde probavit scriptis compluribus, nunc quidem, ut fit, ex usu remotis, sed olim longo tempore celebratissimis.

In illis tria eminent,

Loci theologici, certa methodo ac ratione in tres libros tributi. editi primum anno millesimo sexcentesimo. (1600.)

Templum Ezechielis, sive in novem postrema Prophetae capita commentarius. 1613.

Novum Test. graece et latine, *cum varietate lectionis*. 1618. cui accessissent quoque *Annotationes*, si vita superfuisset.

De singulis exponere vetat temporis ratio habenda. Sed de illo, quem primo loco dixi, libro non possum non nonnulla referre breviter. Ipse ortus libri plane singularis.

Friderici, Würtembergiae Ducis, filius ac heres, Joannes Fridericus, quum ab ineunte aetate dictorum sacrae Scripturae numerum bene magnum complexus esset memoriâ, qua multum valebat, traditus est Doctori theologo Index illorum dictorum, addito mandato Ducis imperantis, ut ea dicta non tantum in Locorum Communium justam seriem, sed etiam, quae in quovis theologico loco praecipua et summa doctrinae capita observanda essent, breviter colligeret. Quapropter inscriptus quoque liber fuit Joanni Friderico, Duci. Haud una recognitione amplificatus, crebris editionibus repetitus, principatum tenuit saeculi fere integri spatio. Nec solius patriae finibus contineri se passus est, sed vel in ipso Sueciae regno tantam auctoritatem nactus, ut regio edicto sic statuente inde ab anno sexcentesimo duodecimo publi-

cum usum haberet in universitate Upsaliensi, omnibusque regni Suecici Gymnasiis.

Et Sueciae rex famigeratissimus ille Carolus duodecimus fere totum librum memoria tenuit, quod esset cum illo non unâ vice, sed alterâ tertiâque pertractatus.

Ut denique paucis multa complectar, „erat *Matthias* „*Hafenreffer* Theologus inter paucos solide eruditus, mo„deratus, humilis, pius, liberalis, et memoriam post se „relinquens benedictam; *extra* patriam suam fere major „adhuc quam in patria".

Verba sunt Christiani Eberhardi Weismanni nostri, cujus apud nos permagna auctoritas.

ADDIMUS

LAUDATAE IN ANTECEDENTE ORATIONE

HAFENREFFERIANAE NOVI TESTAMENTI EDITIONIS DESCRIPTIONEM CRITICAM

QUA

DECANUS IPSE, b. SCHNURRER, DE FONTIBUS, UNDE HAFENREFFERUS VARIANTES LECTIONES HAUSERIT, PROGRAMMATE SCRIPTO ACCURATIUS EGIT.

L. S.

Editio textus graeci librorum novi test., quae an. 1618. 4. Tubingae prodiit, curante Matthia Hafenreffero, Academiae Cancellario, cum et *unica* sit, praeter *Bengelianam, quae ortum suum trahat ex Wirtembergia*, et illius aetatis, qua in lucem edita est, ratione habita, vel eam ob causam satis memorabilis, *quod singulis fere capitibus lectionis varietatem habeat subjunctam*,

non indigna nobis visa est, quae hac occasione diligentius cognoscatur, et quasi ab oblivione revocetur vindiceturque.

Rarior illa est, atque etiam apud nos haud facile obvia, nec tamen plane ignota illis, qui variis librorum sacrorum editionibus recensendis operam suam navarunt. Etenim LELONGIUS eam, sed paucissimis modo, commemorat (Biblioth. S. Tom. I. pag. 216. ed. Paris. 1723.), et MASCHIUS (pag. 303. Part. I. edit. Hal.) lectores suos remittit ad BAUMGARTENII commentar. de libris memorabilibus (Nachrichten von merkwürd. Büchern), quorum tom. II. pag. 18 copiosius quidem de hac N. T. editione Tubingensi disputatum est, sed magis de externa ejus facie, quae a marginum amplitudine et graecorum typorum, senum oculis accommodatorum, spectabili elegantia haud parum commendationis habet, quam de lectionis illa varietate, quae tamen examine aliquo praeprimis digna videri queat. At PFAFFIUS quoque (in notis ad corollaria diss. de Evangeliis sub Anastasio non corruptis subjecta, vid. Primitias Tubingens. pag. 81), *unde Hafenrefferus, vir summus, lectiones suas varias desumserit*, cognitum se habere negat; et BENGELIUS etiam, quamvis in Apparatu Crit. passim laudat editionem Hafenr., nullibi tamen, quid de variis ejus lectionibus statuendum sit, decernit. Itaque operae pretium facturos nos esse existimavimus, si, quid de hac editione, ejusque lectionis varietate, censendum sit, paucis exposuerimus.

Primum itaque *audiamus editorem ipsum*, in praefatione lectores de suo opere edocentem his verbis: „Ut in tabula videat lector, quid ex hac editione polliceri sibi possit, ita habeto: 1. primum habet textum graecum, *ex*

diversis editionibus, quae cum multis MSS. diligenter collatae fuerant, quem correctissimum sane recensere studui, et ab aliis quidem aliquot mendis liberavi; sed nullae operarum perfectae sunt. — II. Singulis capitibus subjectae sunt diversae lectiones, in quibus tamen annotandis summam *ἀκϱιβειαν* adhibere non consultum judicatum est; quae enim vel exigui vel nullius prope ponderis visae sunt, consulto sunt neglectae.“

Quibus ex verbis haud dubie intelligitur, *non nisi editiones* adhibitas fuisse, factas illas quidem a suis editoribus ad mstorum auctoritatem, haud vero ab ipso Hafenreffero collatas cum codicibus. Unde porro lectiones etiam variantes ex solis illis editionibus excerptas esse credibile est.

Et docuit nos omnino instituta collatio, *verum fontem*, unde illae promanarint, *esse nobilem illam editionem Stephanicam* a. MDL. Etenim propemodum nullae cernuntur, quae non in Stephanicis quoque codd. deprehendantur: suntque inter illas haud paucae, quas unus aliquis codex Stephani sibi vindicat ut privas ac prorsus peculiares. Veluti ad cod. Steph. *η*, West. L. ut hoc utamur, nam de omnibus agere vetat chartae hujus angustia, pertinent seqq. Matth. 7, 1 *μη κϱινετε, ινα μη κϱιϑητε, μη καταδικαζετε, και ȣ μη καταδικασϑητε*. c. 16, 3 *ȣ δοκιμαζετε*, pro *ȣ δυνασϑε*. c. 22, 10 *ἐπλησϑη ο νυμφων*. Marc. 8, 29 *Χϱιςος ο υιος τȣ Θεȣ*. Sed et *Erasm.* editt. adhibitas fuisse, haud obscure intelligitur ex seqq. varr. lect. Matth. 11, 18 *και λεγȣσιν, οτι πνευμα εςιν*. c. 14, 3 *εις φυλακην*. c. 15, 19 *φϑονοι*. Eph. 3. 1 *εϑνων κεκαυχημαι*. 1 Tim. 5, 21 *κατα πϱοκλησιν*, et credibile est etiam ex eo, quod textus Hafenreff. accommodatus sit maxime ad recensionem Erasmi, cujus etiam la-

tina versio adhibita est, quamquam multis in locis emendata, quae proinde typorum varietate notata sunt. *Bezae* autem vestigia certa nullibi deprehendimus, nisi forte in lect. var. Luc. 2, 2 *κυρεινȣ*.

Commemorantur vero passim tales quoque lectiones, quae non possunt ad quemquam eorum, quos dixi, fontium referri, veluti Matth. 7, 16 *μητινες συλλεγȣσι*, quae, a Küstero demum in cod. aliquo Paris. inventa, ab Hafenreff. forte ex Luca Brug. (vid. Mill.) desumta fuit. 1 Cor. 15, 29 *βαπτιζονται υπερ αυτων των νεκρων*, quae 3 quidem codicum est, sed tum temporis nondum inspectorum. Matth. 10, 29 *εις παγιδα*, forte ex Chrysostomo. Matth. 11, 19 *εργων*, pro *τεκνων*, ex Hieronymo, ut videtur BENGELIO App. Crit. p. 117.

Denique, observavimus etiam ejusmodi lectiones quae a solo Hafenreffero allatae, a reliquis omnibus prorsus ignorantur. Tales sunt Matth. 5, 3 *εςαι ἡ βασιλεια*. c. 11, 19. pro *και εδικαιωθη*, *ναι εδικαιωθη*, quam miramur a BENGELIO, qui ad hunc ipsum versum citavit Hafenrefferum App. Crit. p. 117, neglectam fuisse, cap. 15, 19 pro *μοιχειαι*, *μοιχεια*. Marc. 4, 30 *παραβολη ομοιωσομεν*. Luc. 2, 3 *εις την πατριδα πολιν*. Joh. 9, 8 *οτι προσαιτης τυφλος ην*. Joh. 14, 26 *διδαξει ταυτα παντα*. 2 Cor. 5, 5 *Θεος και χρισας ημας*. Ebr. 12, 3 *ουν γαρ*. Jac. 5, 16 *ομολογεισθε ȣν*. Apoc. 12, 10 *φωνην μεγαλην εν τω ȣρανω*, *αρτι*. Apoc. 19, 17 *δευτε και συναχθητε*. — Sed haec sufficiant.

PP. sub Sig. Fac. a. d. VII Decembr. A. MDCCLXXX.

IX.

ADUMBRATIO
VITAE AC MORUM
VIRI IMMORTALIS,
WILHELMI SCHICKARD.

Natus est *Wilhelmus Schickardus* die 22 Apr. 1592 *) Herrenbergae, humili quidem sed honesto loco, patre usus Luca, cive et arculario, nec tamen rude ac proletario: nam fratri Henrico, illustri Architecto, cum 1598 jussu Friderici Ducis Nicrum, de quo ad naviculas ferendas parando consilia tum agebantur, dimetiretur delinearetque, Canstadio Heilbronnam usque solus perutilem operam navavit, adeoque et ipse rerum Mathematicarum haud imperitus. Puer prima litterarum rudimenta posuit in ludo Herrenbergensi, translatus postea mortuo patre 1602 Güglingam ad patruum, Philippum, pastorem ibi et Superintendentem: triennio autem post traditus est institutioni avunculi, Wilh. Gmelini, Praeceptoris Bebenhusani Alumnorum collegii, quae res eo ipsi profuit, ut et ipse seq. anno 1607 reciperetur inter alumnos principis. Ineunte anno 1610 promotus in ducale Stipend. theolog. mox, cum Schola ob pestem ex Urbe discede-

*) Descripsit quidem Noster vitam magni *Schickardi* in libro: Biographische Nachrichten von ehmaligen Lehrern der hebr. Litteratur in Tübingen (Ulm 1792. bey Wohler) p. 160—225., additis p. 249—274. epistolis nonnullis ad Schickardiana pertinentibus.

At oratione tamen hac publica complexus est solertissimus rerum istarum indagator non pauca, quae in edito libro vel plane non, vel ita exhibentur, ut imago Schickardianae vitae plenior elucescat utramque viri praeclari narrationem de eximio antecessore comparaturis. — P.

ret, et ipse cum theolog. et philos. facultate Calwam migravit, redux inde factus sequenti anno, quo et (17. Jul.). Magisterii honores hîc obtinuit, sextus inter Candidatos 36.

Theologiae dum operam nunc navaret, mature coepit et alios instituere, praesertim in mathematicis. Sed mox anno 1613 ducali jussu ablegatus hinc est ad vicarias operas primo Herrenbergae praestandas (d. 25 Mart. 1613 primam concionem publicam habuit Haslaci), deinde Kirchhemii ad Teccam: rediit tamen extremo hoc anno ad studia, in stipendium, cujus Repetens constitutus est, assignato ipsi penso *Hebraicae* linguae. Hanc quoque seq. anno privatim docuit in aedibus Christoph. Besoldi, quem et posthac fautorem habuit, et nunquam non observantissime coluit. Ejusdem suasu edidit hoc anno grammaticam suam hebr., cujus inscriptio est: methodus linguae sanctae, breviter complectens universa, quae ad solidam ejus cognitionem faciunt etc. Libri maxime rari, in quo, ut in praefatione dicitur, *methodus plane nova est*, exemplum penes me extat, quo usus olim est auctor ipse, qui fronti ejus sua manu haec adscripsit: „Scripsi „hoc minorennis adhuc. Itaque beneficium restitutionis „in integrum est mihi servatum, sicubi lapsus fuero aut „opinione mea deceptus.“ Hoc ipso statim anno 1614 Nürtingensis ecclesiae diaconus constitutus est: sed diuturna haud erat haec statio. Etenim cum Beringerus, ob adflictam valetudinem, muneri docendarum litterarum hebraicarum vacare non amplius posset, visum est, anno 1618 alium in ejus locum substituere. Commendatus est Senatui ab Hafenreffero, Cancellario, praeter alios nonnullos Schickardus, qui rogatus primum haesitavit quidem discedere ex ministerio ecclesiastico, post vero recepit oblatam sibi provinciam, et Tubingam cum familia

migravit medio fere anno 1619. Quamquam vero ad hebraicam linguam tradendam vocatus esset, erat tamen, ut ipse scribit Berneggero p. 50. a Principe specialiter ad Mathemata destinatus, ut olim cum Deo visum esset, Maestlino succederet. Neque tamen nimis lauta erat ipsius conditio, etiamsi, ut melior esset, mox Contubernii etiam rector constitueretur, quo tamen munere quadriennio post se iterum abdicavit, quod molestum esset et litterarum studia nimis interpellaret. Etenim modico stipendio fruebatur, eratque extra collegium facultatis, adeoque et extra Senatum. Sed semet sustentabat spe meliorum temporum. Itaque cum medio fere anno 1626 obitus Viti Mülleri locum redderet vacuum, studiosissime eundem nec sine spe successus prosperi expetiit Schickardus. Sed nescio quo fato repulsam tulit a Senatu academico, cui Mart. Rauscherum praeferre visum est. Haec res dici vix potest quantopere adflixerit Nostrum, qui, dum concitatior erat animus, cogitabat adeo de deserenda Schola repetendoque munere ecclesiastico. At electionis factae confirmatio a Principe negata, et negotium omne protractum est. Neque enim carebat Schickardus, qui pluribus jam scriptis editis probaverat excellentem suam doctrinam, amicis, qui causam ipsius strenue agerent; utebatur eximio favore Serenissimi Hassiae Landgravii, Philippi, qui litteris ad Ducem Würtembergiae datis commendavit Schickardum, tanquam doctum et probum virum, ut in collegium philosophicum, ordinarius professor, cooptaretur; accessere etiam Besoldi Lansiique litterae intercessoriae privatae. Atque his omnibus hoc effectum est, ut post moram integri fere biennii, ex auctoritate principis reciperetur in Senatum simul cum Rauschero, essetque in Collegio philosophico, quod nonnisi sex Col-

legas habere solebat, praeter ordinem septimus. Posthac, defuncto Maestlino, ad professionem hebraicam accessit astronomica, quam honestis precibus expetitam haud difficulter obtinuit abs Senatu Schickardus. Antea jam, ineunte anno 1630, sibi haud petenti oblatam Stuttgardia habuit provinciam visitandi scholas latinas Wurtembergiae superioris, quam in se recepit, quod esset divinitus data: quamquam facile praevideret, et invidiosam illam fore, utpote ab aliis expetitam, et molestiae periculique plenam, ob belli turbas, militumque etiam peregrinorum huc illuc transeuntium petulantiam. Fervebat enim tum infaustum illud tricennale bellum, jamjam patriae quoque nostrae infestum, mox multo infestius futurum. Atque haec ipsa bellorum incommoda effecerunt, ut de emendis sibi aedibus cogitaret Schickardus, quod conductitiae quibus utebatur molestae essent, et pecuniae in istis rerum vicissitudinibus parum tutae esse viderentur.

Bis ipse pecuniolas, quas paratas habebat, metu rapacium militum, ex more istorum temporum defodit atque abscondidit, primo in parietes domus, ultimo die Junii anno 1631, cum Fürstenbergicus Comes cum magna vi hostium consisteret ad Tubingam, trans Nicrum, et omnia ad oppugnationem urbis expediret (Epist. Bernegg. pag. 165). Quapropter Noster paulo ante uxorem atque liberos in Hohenbergicam ditionem transtulit, ne, ut ipse ait, ipsorum ejulatu animus suus emolliretur, sese eventum omnem domi exspectante: deinde iterum, ob novos metus bellicos et minas hostiles, d. 7 Aug. 1632. in cella, quoniam prior locus jam innotuerat. Postea vero, quod spes melioris rerum status affulgeret, consilium suum executus, extremo Junio anni 1634. numeratis 950 fl. domum emit, Lansianae tum, nunc Tuae, Reverendissime

Domine Cancellarie, propinquam, quae apta ipsi videbatur pro extruenda specula sublimi. At, o vanas hominum spes expectationesque! hanc ipsam domum causam fuisse dixeris abrepti praematura morte Schickardi. Videtur enim omnino pestifera lue haec infecta fuisse, quod frequentibus ac fere continuis funeribus mox funestaretur. Etenim mox mense Octobri extulit filiam natu majorem, altero deinceps mense Sabinam uxorem, atque ancillas duas, tertio denique ineunte filiolam alteram. „Omnes aut novo morbi genere, aut pestis tamen specie, intra triduum vel sextiduum sublatae". De semet ipso haec scripsit a. d. 10 Dec. 1634 ad fratrem, in Galliis hinc degentem: „Quid de me superstitibusve duobus liberis minimis futurum sit, Deus novit. Ego moriendi artem unice nunc meditor, studiis caeteris omnibus sepositis. Te autem, frater charissime, per fidem tuam obsecro, si quid ejusmodi etiam mihi contingeret, velis orphanis meis te patrem praestare". Sed continuo mortua quoque est ultima filiola, nec non studiosus aliquis, qui in ista domo habitabat. Schickardus solus, cum unico filiolo Theophilo (v. epistolam ad Berneggerum d. 2 Maj. 1630) vix dum quinquenni relictus, ex auctoritate Senatus domi sese continere jussus est, ne contagio serperet ad alios, quamquam toto fere oppido lues grassari videretur. Tubinga autem excedere, captandae melioris aurae causa, quod consultius videbatur, recusavit propterea, quod metuendum erat, ne absente ipso res familiaris in praedam cederet militibus praesidiariis. Anno proximo, cum, post conflagratam 9 die Jul. Herrenbergam, in domum atque hospitium recepta ab eo esset soror una cum tribus liberis, etiam ipsa cum liberis defuncta est mense Septembri. Nunc tandem domo ac urbe emigravit Noster cum filiolo unico

decenni, et Dusslingam secessit, qui pagus esset toto Ducatu fere solus singulari Dei gratia hactenus conservatus. Hic miseram vitam tolerabat aliquamdiu Noster, in montanis Albae oberrans cum puero, quoties serenitas admittebat, deinde Dusslingam reversus lassus, in stramine nonnunquam dormiens, quod hospitum lectos reformidaret, et vappam bibere coactus, dum domi milites vinum ac rem familiarem dilapidarent. Sed absentiam a bibliotheca suetisque litterarum studiis diu tolerare haud potuit. Itaque reversus est domum, etiam ipsius vitae mox funestam futuram. A. d. XVIII Octobr. deprehendimus eum Senatui academico adhuc interfuisse. At mox et ipse correptus domestica lue obiit a. d. XXIIII Octobr., unico filiolo, Theophilo, paulo post illum ad Superos secuto, ut jam universa familia extincta esset ac penitus sublata.

Dicamus nunc breviter *de animo atque ingenio viri eximii.* Et quidem *ingenium* primo quod attinet, erat illud omnino felicissimum, atque a natura ita comparatum, ut cuicunque rei studeret facile eam assequeretur perspiceretque: neque in iis subsisteret, quae nova essent atque communia, sed nova prorsus quaereret ac singularia. Mathematica ipsius studia, postquam per quadriennium fere prorsus intermissa essent, resuscitavit an. 1617 Kepplerus, vir summus, cum itinere Lincio in Würtembergiam facto, Nürtingae Schickardum, virum juvenem necdum clarum, sponte salutaret, familiaritatemque cum eo contraheret, quae ad obitum usque hospitiis, mutuisque litteris alebatur. Atque nunc protinus Schickardus non modo novum, eumque perfectiorem, globum coelestem molitus est, sed in Trigonometria etiam novam rationem, absque sinuum Canone triangula solvendi ex

proportione angulorum, studiosissime „noctu cum quiescere, et interdiu quoque cum sacris vacare debuisset,“ quaesivit (Epist. Keppler. pag. 669). Nec pauca sunt, quae posthac in rebus mathematicis vel expeditiora reddidit vel certiora, quae vero ego, diffidentior, malo aliorum quam meae aestimationi relinquere.

In linguarum autem studio erat doctus fere ad prodigium. Praeter Gallicam Italicamque callebat quoque Hispanicam. Orientales, praeter hebraeam quam ex Matthia Hafenreffero etiam hausit, sua solius institutione didicit demum, cum jam professor esset constitutus. Et Arabicae quidem, cujus anno 1620 rudis adhuc erat, addiscendae occasionem habuit (Hoc intelligitur ex ejus Epist. ad Kepplerum, d. d. 19 Febr. 1620), ex eo, quod Janus Gruterus, qui tum Heidelberga exul, a Lansio domum receptus, hîc degebat, Corani exemplar scriptum secum attulerat, quod Schickardus ab ipso mutuum accipiebat. Ad Arabicam accessit Aethiopica, quam ex sola collatione cum hebraeo addidicit, ut ipse Lexicon et grammaticam in privatos usus sibi adornaret; accessit deinde etiam Persica ac Turcica (ad Kepplerum, d. d. XI Apr. 1623).

Quam vero fructuosa in eo fuerit haec tam vasta linguarum peritia, quod esset eadem cum acri judicio conjuncta, demonstrant multa et praeclara opera ab Ipso in lucem edita. *Horologium* linguae hebraicae externa quidem specie tenue opusculum, quantum quaeso fructum tulisse censendum est in promovendo hebraicae linguae studio, cum ob mirificam praeceptorum concinnitatem cum maxima brevitate conjunctam fere quadragies typis repetitum sit, etiam in Belgio atque Anglia, et hic quidem demum 1722, adeoque per integri saeculi et quod excurrit spatium regnasse in scholis dici queat. *Infundi-*

bulum hebraeum pariter typis repetitum, hoc habet memorabile, quod Schickardus primus ausus est, hebraicas regulas tradere germanica lingua, utpote quod, ut in praefatione ait, quae multum ingenii habet, absonum esset putare, Hierosolymas profecturis nonnisi per Romam iter esse instituendum.

Jus Regium hebraeorum ita probatum fuit Grotio, summo viro, ut ipse ad Schickardum scriberet hoc modo: „Ex quo librum tuum legi de rege hebraeo, vir optime de saeculo merite, facile agnovi, et quantus esses, et quanta abs Te possint expectari, neque desii id ipsum apud omnes mihi notos praedicare, maximumque excitare desiderium similis scriptionis de hebraeo Synedrio".

Et profecto hoc ipsum opus, nec non aliud prius editum, *Bechinath Happeruschim*, h. e. Examinis commentationum rabbinicarum in Mosen prodromus, demonstrat familiaritatem Schickardi cum scriptis Judaicis prorsus singularem. Nec tamen ipse, ut fere alias fieri solet, eo se abripi passus est, ut Rabbinorum asserta temere probaret. Etenim, ut hoc utar, ut vocales hebraicas coaevas cum litteris statueret tantum abfuit, „ut valde etiam „miraretur superesse, qui vocalium antiquitatem serio „crederent. (V. de Jure Reg. Hebr. Cap. 2. Trichter, pag. 29)."

Sed primarium illius opus esse videtur *Tarich*, i. e. Series Regum Persiae, liber multae ac reconditae eruditionis, qui multa tum temporis nova ac inaudita continet, ac magno etiam plausu exceptus, nec tamen, credo, ob multas alias occupationes, ab auctore continuatus est (vid. Epist. d. d. 8 Jan. 1628).

Taceo opuscula minora, et multa et eximia, ut mirum videri debeat, unum aliquem, tam brevi spatio quin-

decim annorum, turbulentis istis temporibus, tot tamque praeclara ingenii sui monumenta in lucem edere potuisse. Erant vero etiam alia multa, quae vel adumbrata vel tantum non perfecta moriens post se reliquit. Veluti tractatum de Synedrio hebraeo novimus in schedis delineatum fuisse, ut non multum operae, sed solum ornatum requisivisset (Brief an Bilfinger d. d. 7 Sept. 1627). Et Schickardus ipse scripsit (a. d. 8 Dec. 1634) Berneggero: „Miseret me tot conatuum meorum, tot vigilatarum noctium, tot semiperfectarum meditationum: nec habeo inter discipulos, cui posthumam editionem credere possim". Scribit quidem Morhofius (Polyhist. P. III. pag. 542: Guil. Schickardus magni nominis, cum viveret, fuit; majoris vero apud exteros, quam apud suos populares), bibliothecam Schickardi et msta posthuma a Rege Galliae aere suo redemta, regiaeque bibliothecae addita fuisse: sed minus accurate. Etenim quod ex Struvii Actis litterariis intelligitur, *Abulfedae geographia* sola est, quam a Nostro ex codice arabico Viennensi transcriptam et tumultuaria versione latina instructam, regiae bibliothecae pro pretio ad modum honorifico concessit *Magnus Hesenthaler*, qui codicem a Luca Schickardo, Wilhelmi fratre germano unico, acceperat. Atque ad hunc ipsum non dubito, quin hereditate transierit bibliotheca fratris cum chartis reliquis: nam Senatus academici auctoritate decretum erat, bibliothecam cum instrumentis asservandam esse obsignandamque, usque ad reditum Lucae fratris, qui tum in Gallia erat, principis Wirtembergici magister. Speidelius refert, accepisse se a quopiam, plura msta ab Lansio ab interitu vindicata esse, et in bibliotheca quadam delitescere. Latent ea fortasse adhucdum alicubi neglecta atque ignota, dignissima certe, quae ad

talem aliquem tandem perveniant, qui justum illis pretium statuere norit. Illud certum est, a Matthia Esenweinio consilium olim captum fuisse, hebraica opera Schickardi omnia junctim edendi: et est apud me folium, quod operis inscriptionem exhibet, typis excusum Tubingae 1655 forma quarta: sed videtur res omnis successu caruisse.

Praeter doctrinam hanc eximiam erat quoque in Schichardo facultas haud mediocris *artium*. Machinam arithmeticam ipse extruxit, undecim integris et sex mutilatis rotulis constantem, quae datos numeros statim *αὐτομάτως* computaret, adderet, subtraheret, multiplicaret divideretque (ad Kepplerum pag. 683). Non modo *pingendi* artem callebat (extat, puto, etiamnum in templo Gaertringensi epitaphium avi materni, Gmelini, ipsius manu pictum —) sed et *scalpendi*. Neque in ligno tantum scalpsit imagines, sed et in aere cuproque: et hoc quidem lubentius quam illud, quod, ut ipse ait, minori labore majus quid in cupro praestatur (ad Keppler. pag. 674. col. alt.). Praeter alia *Besoldi faciem* aeri incidit, de quo opere ipse ita: nescio quam bene expresserim faciem: illud scio, mentem ejus nullo penicillo depingi posse (ib. p. 675). Quod typographia Tubingensis arabicos typos non haberet, illos primo ex ligno ipse sculpsit, quales conspiciuntur in disputatione, *Deus orbus Saracenorum:* mox prototypos omnes ex aere sculpsit, unde Werlinus plurimos alios fudit. Si valetudinis causa medicus graviora tractare prohibebat, tempus fallebat delineando sculpendove (ad Keppl. pag. 683. col. pr.).

Superest, ut de *animi* indole aliquid dicamus, quatenus ex epistolis, quarum nos, praeter editas, non paucas alias habemus, etiam ad fratrem germanum datas, illa

intelligitur. Et videtur ille nobis haud minorem commendationem habere quam doctrina viri atque ingenium. Erat primum in eo magna Dei reverentia ac tuendae religionis constantia. Cum mense Sept. 1630 Berneggero significaret, ablata esse Coenobia et occupata a Pontificiis, haec addit: „Ego tacite mecum consilia, quae tibi revelare nil dubito, agitare cogor, de secessu in alia loca, si religionis causa hîc morari diutius non possem. Caetera enim universa, quantumvis dura, lubens perpetiar, unum hoc salutis et conscientiae negotium, vel ad extremos me Garamantas fugabit. — Superest aliquid praesentis peculiolae, quo uxorem et 4 liberos biennio circiter alere confido, donec Deus aliter prospiciat".

Deinde erat in illo mirifica quaedam animi *aequitas* et quasi firmitas in rebus adversis non minus quam secundis. Iniquius quidem initio ferebat repulsam ab academico senatu latam. Sed mox ad se rediit: extat etiam Keppleri ad illum epistola, inedita, tanta cum prudentia ad leniendum amici animum conscripta, ut ea lecta turpe fere fuisset non redire in tranquillitatem. Sed in subsecutis multis magnisque adversitatibus, quibuscum extremo vitae biennio conflictabatur ipse, elucet praecipue vis ista ac magnitudo animi. Bone Deus, quot mala simul in idem caput incidêre! Mater carissima in dira irruptione Herrenbergae duriter tractata, ut obiret ex vulneribus, a milite inflictis. Soror etiam sauciata, atque octodecim ictus experta. Deinde uxor cum liberis elata, bona direpta. Ipse in aedes damnatus auctoritate Senatus. Postea domus paterna Herrenbergae hostili incendio deleta; propria novis funeribus in solitudinem redacta; ipse liberis orbus, extorris, amicis familiaribusque reformidatus, fratre unico superstite quidem, sed longissime absente! Bone

Deus, haec omnia unus quis ferat? Sed tulit Noster, non levi, non obdurato animo. Sensit jacturam intime, praecipue liberorum, quorum causa scribit fecisse se, quicquid fecerit. Sed tulit aequo ac forti animo; nulla in litteris, quibus fratri calamitates enarrat, impotentior querela, doloris intemperantia nulla: ita tulit, ut acquiesceret in sorte humana, ut ad litterarum studia sese conferret, animumque spe melioris conditionis sustentaret. Tandem et *modestia* viri laudanda. Atque haec quidem tanta erat, quanta solet plerumque esse in homine vere bono ac magno ac bene merito. Cum tandem receptus esset, fere invito Senatu, in collegium philosophicum, quae res omnium maxima ipsi esse videbatur, tantum abfuit, ut triumphum nunc quasi ageret atque virtutes suas jactaret, ut potius ad amicum scriberet: res quidem novi est exempli, esse numero septem philosophorum — sed invidia, quam necessario incurri, quotidie ut spero minuitur (ad Bernegg. pag. 99).

Extant apud me litterae a Peirescio ad ipsum datae a. d. 17 Jan. 1634., quarum initium laudes complectitur Schickardi, neque tamen illas immodicas: at Noster margini sua manu adscripsit haec: „Haec excessiva, et nimis Gallica, non agnoscit mea tenuitas".

Talis cum fuerit Schickardus, quid mirum, eum a summis aetatis suae viris maximi factum, atque litteris honorificentissimis compellatum, mortuum vero certatim, velut in communi litterarum luctu, carminibus celebratum fuisse! Ipse *Grotius*, tum Suecorum reginae apud regem Galliae legatus ordinarius, in obitum Nostri haec scripsit:

Pestifero rapitur Schickardus sidere: docti
Flent simul, atque artes discere quisquis amat.
Vix poterunt seri talem sperare nepotes!

X.

De

PROFESSORIBUS ORIENTALIUM LITTERARUM POST SCHICKARDUM TUBINGENSIBUS.

1 7 8 4.

Qui nuper historiam professorum linguae hebraicae in hac nostra litterarum universitate, alia occasione coeptam, vobis ut videre nobis visi sumus non plane invitis sumus persecuti; veniam nunc petimus vestram, Auditores, argumentum hoc, ab hoc loco atque tempore non prorsus alienum, perficiendi, et telam quasi nostram pertexendi absolvendique. Fiet id vero brevissima oratione, ne vestra patientia abuti velle videamur.

Wilhelmo Schickardo, incomparabili viro, omniumque, qui unquam hic orientales litteras professi sunt, omnino principe, defuncto anno 1635, diu jacuit hebraeae linguae studium, nec de successore illi dando cogitatum est inter eos, ad quos cura hujus rei praecipue pertinebat. Erat tum temporis, ob funestissimi belli tricennalis turbas ac calamitates, cum patriae, tum scholae nostrae litterariae, tristissima facies, professorum magna parte lue absumta, studiosis disjectis, stipendio theologico in solitudinem redacto, exhausto aerario, reditibus reipublicae scholasticae maximam partem negatis. Memorabile est, quod scribit *Jo. Valentinus Andreae*, in Commentariis de vita sua ineditis (pag. m. 362) ad annum 1643: „Ex muneris mei partibus, inquit, praecipua fuit illustris Stipendii inspectio, quod cum laborare praecoci effusaque „graduum litterariorum collatione, tum informationis etiam „mathematicae et *hebraeae* penuria videretur, utrique „recte consultum, sumtibus egenorum cautum est 13 Junii „didactro etiam in duos Professores annuo per me col-

„lecto, cui Augustus meus (dux Brunsuicensis) 30 flore„nos, produx Geizigkofler 10, alii alios pro fortunis suis „et humanitate contulere“.

Professorum alterum fuisse Balthasarem *Raithium*, non est quod dubitemus. „Fuerat is, teste Pregizero in Suevia et Wirtembergia Sacra pag. 249, post funestam cladem Nördlingensem, totius Stipendii caput quasi repraesentativum, quem cum caeteris (septem numero) Superattendentes Stipendii multis precibus orare debuerunt et vix exorare potuerunt, ut manerent, nec stipendium evacuatum Monachis et sacrificulis cederent“. Postea, Stipendii tantisper restituti Repetens factus, orientales litteras in eo restaurare coeperat. Nunc vero, cum jam diaconatu Tubingensi fungeretur, lectioni hebraeae *privatim*, in usus maxime alumnorum principis habendae, adhibitus est. *Privatim* quoque postea litteras hebraeas tradidit Matthaeus *Esenwein*. Matthaeus Esenwein, theologici Stipendii Repetens, qui hebraeae linguae causa Basileam, ad Jo. Buxtorfium, magni tunc nominis virum, missus est anno 1648, et postmodum, diaconus Tubingensis factus, non modo Horologium denuo edidit, a Superioribus jussus, sed et opuscula Schickardi philologica junctim edere quatuor tomis secum constituerat. Antistites scholae nostrae litterariae, etiamsi inde ab anno 1646 principis nomine subinde graviter excitarentur ad *publicum* aliquem hebr. litterarum professorem constituendum atque alendum, quod ea res, ut in litteris Principis dicitur, ad promovendam solidam librorum sacrorum cognitionem esset summe necessaria; tamen, quod hi semper negarent, posse se, nisi meliore loco essent res suae, novi professoris stipendio providere, protractum est negotium ad annum usque 1652, quo tandem *Raithio*, qui

tum theologiae professor extraordinarius constitutus erat, *publica* lectio linguae hebraicae demandata est. Erat hic ex disciplina Schickardi; linguarum, praeter hebraicam, etiam chaldaicae, Syriacae, immo etiam arabicae bene gnarus, quod ex disputatione ipsius philologica in primam Corani Suram conscripta intelligitur. In lectionibus hebraicis tractavit horologium Schickardi, nec non huic subjunctam lexici hebraici epitomen: in theologicis praelectionibus vindicavit versionem Lutheri vernaculam Scripturae sacrae, unde natum est palmarium ipsius opus: Vindiciae versionis S. Bibliorum germanicae Lutheri, a malevola censura et iniquis vellicationibus, non Pontificiorum solum, qui eam primitus ex professo oppugnarunt, sed etiam aliorum sciolorum temerariis correctionibus — ope fontium hebraeorum et graecorum, collatis utplurimum nobilioribus orientalis et occidentalis Ecclesiarum versionibus. — Princeps Wirtembergica, Antonia, litterarum hebraearum miro exemplo amantissima, cum in templo Deinacensi recens extructo dedicaret suam tabulam Cabbalisticam, inauguralis orationis habendae honore ornatus ab ea est Raithius. Praefuit muneri suo Raithius ad annum usque 1680, quo morbis magis, quam senio confectus sponte sese abdicavit, honorificamque missionem obtinuit, honesto etiam stipendio ornatus et a Principe et a Scholae antistitibus, cujus beneficii gratam memoriam testificaturus, legavit Universitati ex sua bibliotheca opus Talmudicum cum Corani arabici fragmento manuscripto, quae etiamnum servantur in bibliotheca publica.

Successorem Raithius habuit in utraque cathedra cum theologica tum hebraica *Georg. Henr. Haeberlinum*, Stuttgardiensem. Hic, emensus stadium monasticum,

postquam aliquandiu ecclesiastico muneri vacasset, anno 1681 huc Tubingam, ad docendam extra ordinem theologiam unacum lingua hebraica evocatus est anno aetatis suae 37, in qua statione lectionibus disputationibusque quam plurimis habitis brevi tantam nominis famam consecutus est, ut rex Sueciae, missis altera vice regiis diplomatis, primariam theologiae cathedram in academia Livoniensi, Dorpati, ad eum deferret, promissa insuper episcopali dignitate in urbe Rigensi; nec non Altdorfensis Academia professorem eum expeteret. Sed anno jam 1692 Stuttgardiam vocatus est atque munere consiliarii ecclesiastici, nec non antistitis ecclesiae primariae ornatus, in qua functione diem supremum obiit anno saeculi extremo 1699, pluribus, quae tum temporis in pretio haud vulgari erant, scriptis editis, sacris praesertim concionibus, in quo genere plurimum valere censebatur, magnam nominis auctoritatem consecutus. Hebraicae autem linguae docendae provinciam, discedente Haeberlino, nactus est Matthaeus *Hiller*, vir celeberrimus, qui in hisce studiis, grammaticis praesertim, sua aetate excellebat, dignus itaque, cujus memoria copiosius apud nos instauretur. Natus is est anno 1646 a. d. 15 Febr. Stuttgardiae, genere haud ignobili. Prima litterarum fundamenta jecit in Paedagogio Stuttgardiano. Adultior factus, promotus est in Coenobium Hirsovianum anno 1662, quo post luctuosum tricennale bellum, idem denuo recipiendis alumnis patuit: biennio post translatus Bebenhusam, hinc, altero biennio exacto, Tubingam in Stipendium theologicum ubi mature linguarum praecipue ac sacrae scripturae studio incubuit, ut brevi etiam post, dum Repetentis munere fungeretur, ad Schickardi exemplum grammaticae ebraeae Sciagraphiam in lucem ederet. Dehinc, quamquam ipse

per omnem suam vitam nullum munus ambiret, sponte tamen omnes justo tempore est consecutus. Primo Herrenbergensis diaconatus provinciam sibi oblatam habuit anno 1677., deinde post sex annos Herrenbergae transactos, Bebenhusani praeceptoris munus, studiis ipsius aptissimum, nactus est. In hac statione edidit, impensas subministrantibus discipulis suis, lexicon latino hebraicum, quo potissimum voces extra scripturam sacram in Rabbinorum theologicis ac philosophicis scriptis obviae recensentur; opusculum juvenibus, quibus latina hebraice vertenda erant, maxime accommodatum. Anno 1692, cum *Jaegerus*, postea Universitatis Cancellarius, philosophicam cathedram permutaret cum theologica, Hillerus, inscius adeo, communi Senatus academici consensu, in locum illius constitutus est professor maxime logices Metaphysicesque, tum vero etiam hebraeae linguae. Simul *Caldenbachii*, historiae atque eloquentiae professoris, per sexennium aegrotantis, omnes propemodum officii partes explevit, et rectoratum quoque contubernii administravit, ut non semel, quod ridens narrabat saepius, universam facultatem philosophicam repraesentaret unus fere ac solus. Philosophiae primae, ut ajebant, pensum cum graecae linguae professione commutavit post aliquot annos, Ephorus quoque Stipendii factus, nec non Theologiae professor extraordinarius, quod alius fieri nollet. Provinciam suam egregie administravit ornavitque. Erat enim non modo laboris patientissimus, sed insigni litterarum, earumque varii generis, facultate bene instructus, quod ingenii ejus haud pauca monumenta comprobant. Anno statim primo professionis Tubingensis edidit librum de arcano Kethib et Keri, pro vindicanda S. codicis hebraei integritate et firmanda locorum plus octingentorum explica-

tione contra Lud. Capellum, Is. Vossium, Waltonum eorumque asseclas, quo probare sustinuit, varietates istas lectionis neque ex diversis librariorum codicibus, neque ex critico Masoretharum acumine, sed ex duobus vel pluribus exemplaribus ab ipso Esdra, viro θεοπνευστῳ, exaratis enatas, adeoque omnes genuinas esse atque divinae originis: tantoque cum plausu exceptus est hic liber a multis, ut Wagenseilius etiam, vir magni tunc nominis, profiteretur, se firmiter persuasum esse, non sine afflatu aliquo divino talia auctori in mentem venisse, eumque unum laborem superasse Masoretharum omnium, aliis omnino aliter sentientibus, eamque hypothesin precariam, nullisque rationibus suffultam existimantibus. Successere libri minores academici complures, quorum praecipuos postea junctim edidit auctor, adhibita inscriptione *Syntagmatum hermeneuticorum*. Onomasticum sacrum vulgavit anno nostri saeculi sexto, quod Wolfio judice ita comparatum est, ut reliquis omnibus, qui hoc argumentum tractarunt, palmam praeripuisse Hillerus existimandus sit. Porro cum multa dudum desiderasset in hebraicis grammaticis, ipse opus adgressus difficile, evulgavit *Institutiones linguae sanctae*, quibus analogia hebraismi ad breves easdemque generales et nullis impeditas exceptionibus regulas revocatur, novisque observationibus, quae a Scriptoribus artis tradita, locupletantur; easdemque ipse in compendium redactas iterum edidit anno insequenti. Palmarium vero ejus opus est *Hierophyticon*, s. commentarius in loca scripturae sacrae, quae plantarum faciunt mentionem, concinnatum ab eo tum maxime, cum honestissimam missionem nactus a statione Academica anno 1716, in Monasterio Regiofontano, cujus Abbas constitutus esset, otio frueretur peractis laboribus di-

gno.

gno. Insolens enim ignaviae et laboris amantissimus, praeter labores ecclesiasticos, quibus ipse vacavit, plurimam profecto operam impendit huic suo Hierophytico, nullis etiam sumtibus parcens vel in coëmendis auctoribus, vel et plantando horto Botanico, ad quem studium hoc ipsum induxerat. Prodiit opus hoc, ad exemplum Hierozoici, quod immortali Bocharto debemus, concinnatum, nec tamen pari successu, Trajecti ad Rhenum anno 1725, eodem, quc auctor ipsius e vita discessit, laudabiliter peractum; absolutum tamen est sat opportune, ut ejus videndi, imo et perlegendi, honestissimam voluptatem frui posset pius senex, qui cum librum e manibus dimitteret, ut typographum experiretur, rogavit Deum, vellet aut perdere, si nihil prodesset, aut si frugi esset futurus, ipsemet secundare eundem et in publicum provehere ecclesiae emolumentum. Restant alia a Nostro elaborata quidem, sed typis nondum vulgata, velut ἰσοδύναμα Scripturae Sacrae, et Thesaurus linguae Sanctae hermeneuticus: et extant quidem haec etiamnum, suntque oculis a nobis usurpata; sed quod minutis schedulis constant; misere nunc confusis perturbatisque, nulli porro usui futura. Atque haec quidem sunt, quae *doctrinae* suae monumenta post se reliquit Hillerus, vir multae variaeque lectionis, qui tamen, quantum nobis quidem videtur, memoria atque ingenio plus valebat, quam judicii acumine. *Animum* vero reliquamque imaginem viri quod attinet, tradita nobis sunt a teste idoneo atque fidé haud indigno haec: Facies viro decora ac gravis, vox virile quiddam sonans, lingua minime praeceps elegantiaeque in omni sermone studiosissima; statura mediocris, robusta tamen et erecta, incessus motusque lentus ac aequabilis, totusque corporis habitus ad decus ac severitatem com-

positus. Ingenio erat non nimis veloci, nec tardo etiam, sed attento maxime atque ad investigandum apto. De nulla re unquam sollicitus magnopere, nisi de studiis suis, procul ira ac odio, procul cupiditate omni vel honoris, vel opum, vel deliciarum, animum semper aequalem intra suos circulos continuit. Quae causa etiam erat, quod accedente victus temperantia, valetudinem ad senectam usque servaverit firmam atque immotam. In consuetudine aliorum nemini gravis, nemini molestus, erga omnes mire pacificus extitit; in congressibus, conviviis aliisque solemnitatibus festivus, hilaris prorsusque jucundus. Theologiam amavit simplicem illam et antiquam, i. e. e sacra Scriptura haustam, exegesi non e profanis, sed ipsismet sacris auctoribus instituta; tricas quoque ac rixas, innovandi pruritum, sectarum studia, sed et pacificandi illud studium detestatus maxime, Deo et tempori, non hominum arbitrio transmittens Ecclesiae pro diversa periodorum ratione incrementa. Obiit hic probus ac doctus vir februarii tertio die anno hujus saeculi vicesimo tertio, postquam vixisset annos septuaginta novem, dignus omnino, qui praestantioribus scholae nostrae luminibus adjungatur, et piae grataeque, etiam posterorum commendetur memoriae. Successorem habuit Hillerus Joh. Rud. *Osiandrum*, Johannis, viri maxime memorabilis, cujus vita, enarratione si quae alia dignissima, fabulae quam vitae vere actae similior est, filium unicum. Hic, postquam absolutis in hac Musarum sede, in qua et lucem videre ipsi contigit, anno superioris saeculi octogesimo nono, litterarum studiis, in Belgium quoque litterarum causa profectus esset, redux in patriam anno 15, a principe hanc gratiam obtinuit, ut illico philosophiae ac litterarum orientalium in hac schola professor extraor-

dinarius crearetur. Altero autem anno, quo ad aliam dignitatem amotus est Hillerus, successit ipse in locum praeceptoris, auctoritate Senatus academici constitutus graecarum litterarum professor ordinarius, servata professione hebraeae linguae, quam postmodum etiam retinuit, cum in theologorum ordinem proveheretur. Extant complures ab eo editae dissertationes, omnes illae ad loca textus sacri hebraici illustranda compositae, quae mite ac mansuetum viri ingenium produnt, debentque magis ex suae quam nostrae aetatis ratione aestimari. Osiandro praematura morte extincto, hebraica professio delata est ad Jo. Christianum *Klemmium*, ad quem graeca ab eodem jam antea devenerat, virum strenuum atque operosum, in quo varia et multiplex erat eruditio. Ornavit is hanc provinciam annos tantum non triginta continuos, magna multiplicis generis scriptorum ab se editorum copia clarus. Quorum duo tantum hoc loco commemoranda veniunt, 1. de numis hebraeorum libellus academicus, in quo, qui de hoc argumento egerunt, breviter recensentur, et numi, quorum figurae apud alios extant, illustrantur; 2. Critica Sacra sensus litteralis incomplexi codicis hebraei vet. Test., ordine Alphabetico vernacule elati, et viginti canonibus criticis superstructi; h. e. Glossarium hebraicum, cui praemissi sunt canones, quibus stabiliuntur adminicula ad inveniendam significationem vocum hebraicarum, bona alia atque probanda, alia spuria ac hodie prorsus explosa. Reliqua ad Theologiam pertinent, quae majori omnino jure, quam orientalis litteratura, hunc sibi virum vindicat. *Baurii* tandem nostri, in cujus locum, cum ad altiorem dignitatem ipse eveheretur, ante hos novem annos memet substituere visum est

Senatui academico, Baurii, inquam, nostri, viri doctissimi atque integerrimi, virtutes atque merita tam sunt animis nostris adhuc praesentia, ut nulla prorsus mea commendatione opus esse videatur.

XI.

De

GEORGIO BURKHARDO,

PROFESSORE TUBINGENSI, MINUS CONCELEBRATO, INGENIO TAMEN, FIDE, INDUSTRIA, DEXTERITATE EXIMIO.

ORATIO CANCELLARII.

1806.

Qui ante hos ducentos annos, saeculi decimi septimi anno *sexto*, hoc ipso in loco, intra hosce parietes, Decanus Ordinis Philosophorum Magistros renuntiavit, brevi post vita defunctus, M. *Georgius Burckhardtus*, mihi quidem inde a multis annis semper visus est perdignus, cujus memoria inter nos coleretur. Etiamsi ille *scriptis* editis famam nominis nec assecutus est nec consectatus, et ne locum quidem in edita Scholae nostrae Historia est nactus, tamen exemplum praebet nostris juvenibus, quantum valeat *industria*, conjuncta cum fide et prudentia. Igitur haud alienum mihi videtur ab hoc loco et tempore, de vita viri breviter verba facere.

Natus est Noster anno saeculi decimi sexti tricesimo nono in Franconia haud procul Weissenburgo, et quidem natus est loco nequaquam humili. Puer octo annorum patre orbatus, qui in defendendis contra Hispanorum injurias patriae finibus cecidit, in tutelam devenit avunculi, Widmanni, pastoris Langenzennae, ab hoc mox, tutiorem in locum, Ochsenfurtum, oppidum Würzburgense, missus, et patruo, oppidi tum praefecto, traditus est. Hic puerum venustum festivumque nati loco habebat, ipse prole destitutus: at Romanam sacrorum formulam profitebatur ille, ibi in oppido Episcopali domesticam. Alebat vero domi famulam, *novae* formulae, Lutheranae, cupidam et studiosam: haec, ignara penitus litterarum, puerum subinde munusculis (pomis, nucibus, cerasis, numulis) excitabat ad praelectionem Catechismi

Lutheri et Psalmorum ab eo editorum. Puer, et sua sponte, et blandimentis illectus, ita studiose et frequenter, festis maxime diebus, libros illos praelegit recitavitque, ut brevi et ipse et famula religionis purioris capita et Psalmos integros memoria tenerent, et possent fidei rationem explicare. Cum patruo, qui viduus factus famulam in conjugium duxit, postquam septennium fere fuisset puer, ab avunculo Widmanno, nunc pastore Creilshemii (quod videret, majorem natu ejus fratrem, Johannem, in monasterium Schwarzach devenisse), revocatus est et scholae publicae traditus. Inde post biennium missus Stuttgardiam, ubi tunc schola esset ob Wackeri virtutes percelebris, et Johanni Brentio commendatus est. Hic animadvertens pueri industriam, et simul patrimonii tenuitatem, unacum Wackero effecit, ut eum in familiam reciperet pharmacopola aulicus, duobusque filiis suis comitem ac custodem adjungeret. Hic temporis jacturam, cum propter privatam puerorum institutionem, tum propter operam domesticam haud paucam, quam aequo animo ferebat, compensabat diligentiâ, ut quae *interdiu* non poterat, a coena et antelucanis horis perageret. Unde factum est, ut si quando domi, ob sopitum ignem, mane candelam accendere non posset, in plateis hinc inde discurreret, donec in quadam domo lumine conspecto copiam ejus habere posset. Cum biennium et quod excurrit Stuttgardiae scholam frequentasset, inclinante anno 1557 petiit Tubingam. Eam autem in academicis quoque studiis diligentiam adhibuit, ut, cum anno sexagesimo Magister renuntiaretur, inter tredecim Candidatos (qui numerus pro conditione istius temporis magnus habitus fuit) *primum* locum obtineret.

At nunc exhaustae erant facultates patrimonii. Qua-

propter effecit Wackerus, ut Paedagogii, cui ipse praeesset, Stuttgardiani classi quartae praeficeretur Burckhardtus. Invitus hic Tubinga discessit, sed brevi, praeter omnem opinionem, nactus est huc redeundi facultatem. Etenim, matrimonii conditionem cum virgine honesta, nec opibus destituta a cognato, qui juvenis animum et ingenium ad quemcunque statum reipublicae promtum et accommodatum haberet cognitum, sibi oblatam amplexus, consilium cepit academica studia prosequendi, et simul, ut rei familiari consuleret, in humanioribus artibus et philosophia adolescentes privatim instituendi. Et quidem *Juris* scientiam aggressus, non tantum privatim eam persecutus est, sed publicas quoque professorum, quorum jam illo tempore sex erant iique haud incelebres, studiose frequentavit. Consilium autem illud, de recipiendis in privatam disciplinam et in convictum quoque adolescentibus, ità prospere evenit, ut brevi, cognitâ hominis industria et dexteritate, magnus ad eum concursus fieret convictorum, qui simul privata ejus institutione uterentur, nec domus caperet multitudinem, sed alia, eaque amplior, emenda esset, et ipsa novis subinde hypocaustis et cubiculis instruenda (Conjux, cum post triginta annorum conjugium obiret, ducentorum et sexaginta quinque convictorum curam egerat).

Senatus autem academicus, diligentiam Nostri et dexteritatem in docendo intelligens, noluit eum privatis parietibus concludi, sed, altero statim conjugii anno, primum ad lectionem Terentii, et mox ad Ciceronis librum de Officiis expositionem constituit in Paedagogii academici ordine *primo*, et brevi tempore ad alia in *tertio* ordine tradenda adhibuit.

Usus eventu tam secundo, rei etiam familiari pro-

ficuo, induxit animum, in his humanioribus studiis consistere, et totum se tradere informandae juventuti scholasticae. Abstinuit itaque, re bene deliberata, a persequendo studio Juris, quod inchoaverat, quamquam qui probe eum norant, in opinione erant, potuisse eum hac via ad dignitatem et fastigium pervenire. Erat enim felici et quasi *politico* ingenio natus, promtus, velox in excogitandis rationibus, disertus, laborum patiens, valetudine firma, egregia et liberali corporis figura, et statura apposita ad dignitatem. Et videtur *politicum* ingenium ad res gerendas aptum naturâ insitum Burckhardtis et quasi gentilicium fuisse: nam frater natu major, Joannes (quem diximus in Monasterium Schwarzach traditum fuisse), mox juvenis viginti annorum in rebus gerendis adhibitus, et vix annos viginti quinque natus Abbas factus, prudentia sua et cura hoc primo Monasterium, deinde etiam Banzense illud, magno aere alieno liberavit et amplioribus proventibus auxit. Nostri autem (Georgii) etiam filii eminuêre in gerenda republica, et Andreas de universa Würtembergia immortaliter est promeritus.

Igitur Burckhardtus, qui professorem hîc ageret, sed modo Classicum, singulari sua in formandis et gubernandis discipulis virtute, et convictorum multitudine, famam nactus est: ut civitatis Rotenburgo — Tuberanae senatus ipsum vocaret ad restaurandam suam scholam, liberalissima mercede oblata. Difficillima tum erant tempora; summa hîc apud nos rerum omnium caritas, immo penuria; vini mensura veniebat crucigeris duodecim vel quindecim; medimnus frumenti octo vel novem florenis: ipse jam pater erat septem liberorum, quibus cum conjuge honesta ratione erat prospiciendum. Annuit, operam suam ad triennium pollicitus, et iter Rotenburgum cum

familia suscepit mense Junio anni 1575. In novo munere conceptae de se exspectationi facile satisfecit; novus ad eum discipulorum concursus factus, Nobilibus maxime, qui in Franconia et multi et ampli essent, filios ei commendantibus.

Sed triennio nondum exacto, obitu Jo. Mendlini, grandaevi, Dialecticae professoris, Burckhardo locus factus est Tubingae, qua invitus discesserat, ne vendita quidem, quam hîc habebat, habitatione et vinea Buckenlohensi. Antea constitutum animo cum habuerat venire huc ad faciendam vindemiam et domum curandam, accessit nunc magis etiam animo ambiendi munus, cujus potestatem haberet Senatus academicus. Et obtinuit etiam, ut *sibi* committeretur Lectio Dialectica, quamvis *sex* alii doctissimi viri jam ante ambiissent istam functionem. Rediit itaque tempore verno anni 1578, et habita publica oratione pro commendanda arte Dialectica, receptus in Collegium philosophicum, deinde etiam in Senatum, fecit initium publicae lectionis. Occupatâ antiqua domo cum instaurasset rem familiarem, rursus ad eum confluxerunt convictores et discipuli privati magno numero. Laudatur in eo etiam facultas, perspicue cum omnia, tum Logicam tradendi, ut non tantum ab adultioribus facile, sed a minoribus etiam et tironibus sine difficultate intelligeretur, neque quisquam auditorum esset, qui eum non posset assequi. Scripsit quidem pro auditoribus libellum de usu praeceptorum Dialecticorum, sed ut *ederet* illum expugnari se nunquam passus est, quod aliorum majoris quam sua semper faceret, et metueret etiam varia variorum hominum judicia. *Rebus* ille gerendis et administrandis bene et dextre promtior erat atque intentior. Quantumvis strenuus in habendis scholis non modo publi-

cis sed privatis etiam cum multis quos domi aleret discipulis et convictoribus, tamen adhiberi se passus est tam multis tamque variis operis, ut mirum videri possit, *eundem* hominem parem fuisse omnibus.

Scholarchae officium, positum in regendo Paedagogio academico, et scholis Würtembergiae superioris inspiciendis, gessit ad finem vitae usque summa diligentia et fide, non sine valetudinis dispendio, et saepe etiam cum discrimine vitae. Cum enim, ne deesset *academicae* juventuti, scholas obiret nonnisi in feriis quadragesimale antecedentibus et sequentibus, inclementissimo coelo, ut anni tempus fert, iter faciebat per altos et nivosos Alpium et Sylvae nigrae montes, vallesque profundas *eques*, ministro pedite viam praemonstrante.

Bibliothecae etiam publicae administrationem, ob singularem et exquisitam qua in rebus omnibus utebatur curam, sibi commissam habuit.

Negotia, quae nomine Senatus academici expedienda et in oppido et forâs in aliis locis erant, ipsi frequentissime commissa, et nunquam non prudenter, dextre, feliciter peracta.

Maxime in *Decimis* reditibusque Academiae curandis eminuit viri dexteritas et prudentia. Primis quidem annis Doctoribus senioribus, quibus talia negotia erant concredita, fuit adjunctus: mox, perspecta illius virtute et cognitione, ipsi uni, cum Syndico, cura haec omnis commissa est, quam obeundis anniversariis itineribus ad vitae finem usque summa fide et maximo reipublicae commodo sustinuit. Ita vero res Universitatis tractavit, ut ii, quibuscum agendum esset, amarent illum, et praedi-

carent Senatus aequitatem et benignitatem, Fiscus autem justum inde nec inhonestum fructum perciperet. Propter diligentem hanc curam et prudentiam in rebus administrandis, in ipsum, quod *Deputatorum* dicimus, Collegium a Senatu lectus est, in quo ad vitae finem officio atque exspectationi semper satisfecit.

Post pluries gestum Decanatum, multo tum quam hodie operosiorem habendis visitationibus, examinationibus, orationibus, aliisque exercitiis instituendis, illud quoque tandem assecutus est (anno supra millesimum sexcentesimum *quarto*), ut summam Academiae gubernationem, *Recturam*, haberet sibi commissam, quam perraro et parcissime in inferiorem ordinem descendere sinerent Superiores. At Burckhardto dandum omnino aliquid erat, qui nullo non in loco virtutem suam et prudentiam in curando bono publico probasset, et nunc, senex etiam, summum locum summa fide, gravitate, dexteritate administraret. Ut *omnibus* partibus sufficeret, effecit *hoc uno*, ut *promtus* esset in expediendis negotiis. Alienissimus inde a puerili aetate per omnem vitam a *cunctando*, mature expedivit quae erant expedienda, etiam in ipsa senectute nemini gravis aut molestus propter moram. Lectiones etiam mature accessit, ut frequenter ipse praestolaretur discipulos. Maturius si vel ad scholam, vel ad Senatum accessisset, sibique exspectandum videret; ne otiosus esset, descendit in Bibliothecam publicam, ut nonnihil in ea curaret. Sacras conciones semper inter *primos* est, ingressus. In anniversariis, quae decimarum causa conficienda erant, itineribus impiger erat, summo semper mane ad iter instructus. In omnibus erat cunctationis impatiens.

At multorum annorum labores continui, et maxime itinera, etiam intempestiva, coeperunt inde ab aetatis anno sexagesimo frangere valetudinem hominis, ut subinde esset cum morbis conflictandum. Repetiit anno septimo, exeunte Aprili, Thermas Ferinas, quibus saepius usus esset; ibi quarto Maji die correptus diarrhoea et languore, postridie placida morte exstinctus est, praesente ipsi Hafenreffero nostro, incomparabili Theologo, annos natus sexaginta et octo. Neque vero passus est imparatum se a morte opprimi. Paucis ante obitum mensibus in templo collegae locum monstraverat, quo cuperet post obitum tabulam memoriae causa suspendi. Quod commemoratione haud indignum, quadringentorum florenorum proventum perpetuum, scholae oppidanae apud nos Rectori et collegis distribuendum, pie legaverat. De facultatibus suis quid post mortem fieri vellet, tabulis prudenter dudum erat dispositum. Ex prima conjuge octodecim natorum superstites erant novem, bini filii, alter Norimbergensis civitatis consiliarius, alter medicinam faciens Würceburgi, filiae septem, omnes a parente in honestissimum matrimonium collocatae: ex altero conjugio aderant filiola, et filii duo, quorum natu major, Andreas, immortaliter posthac de patria est promeritus.

Est hic *Andreas Burckhardtus* ille, qui pacis Westphalicae conditionibus condendis interfuit Legatus Ducis Würtembergici, et cum socio muneris, *Varnbylero*, sua prudentia et constantia effecit, ut Würtembergia restitueretur omnis et integra: qui privatim quoque permultis profuit instituendo ex suis facultatibus stipendio largo, quo adhuc multi apud nos disciplinarum studiosi ex spectatis familiis fruuntur.

Haec est, leviter adumbrata, vita hominis, qui nihil familiae, nihil connubio, nihil fautoribus et adjutoribus, sed *sibi soli*, praeter Deum O. M. debebat omnia. Würtembergiam nostram ille petiit adolescens advena, orbus parentibus, patrimonii inops, destitutus necessariis: at patriam nactus, familiam ipse inter nos condidit amplam et spectatam, rem familiarem honestis rationibus auxit, et liberis etiam satis amplum paterni nominis et bonae memoriae patrimonium reliquit. Videtis, quid valeat industria, conjuncta cum fide et dexteritate. Sane, locum ac sortem nascendi nemo unquam mortalium nec sumsit sibi, nec sumere potest. Sed industriam, sed fidem, sed prudentiam potest sectari et assequi unusquisque; ut nihil differat, ut quod expediendum sit, primo quoque tempore expediat, ut in expediendo diligentiam omnem exhibeat, hoc profecto nullus non positum habet in sua voluntate. Hanc igitur, quae in Burckhardto eminuit, virtutem habeat sibi unusquisque commendatam.

XII.

De

VITO MÜLLERO,

E SUMMA INOPIA AD HONORIFICUM IN LITTERARUM UNIVERSITATE TUBINGENSI LOCUM ELUCTATO.

ORATIO CANCELLARII

1807.

Qui proximo anno, auditoribus ut mihi videre visus sum haud indignantibus, verba feci de M. *Georgio Burckhardto*, ut optimis juvenibus exemplum proponerem, unde cognoscerent, quantum efficere valeat *industria*, conjuncta cum fide et prudentia, nunc oblata eâdem occasione dicturus sum de alio scholae nostrae professore, non illo quidem percelebri, nec tamen non de rebus nostris bene promerito, de Mag. *Vito Müllero:* cujus vita hoc habet singulare, quod is puer et adolescens cum summa inopia, incommodis atque aerumnis omnis generis colluctatus, patientiâ tamen et constantia id obtinuit, ut Dei beneficio et locum assequeretur honorificum, et facultatibus, si non afflueret, satis tamen instructus esset, ut etiam stipendio a se pro litterarum studiosis legato nominis sui memoriae posset consulere.

Dicam vero breviter, et sine ornatu, quem si vel maxime consectari voluerim, certe haud ferebat proximis hisce diebus rerum mearum inter turbationes domesticas ratio.

Natus est *Müllerus* anno supra millesimum sexagesimo primo (1561) in pago Franconiae Bülnheim, humili loco, patre pistore. Orbatus est patre, vix annum aetatis primum emensus. Mater nupsit iterum pistori, viro quidem probo, sed qui in aliorum negotiis curandis sua negligeret. Hic Uffichemium concessit, emtoque diversorio cauponariam coepit exercere, ut labenti rei familiari inde peteret subsidium. Schola ibi nulla erat, quam

puer frequentaret: sed commode accidit, ut aeditui illius pagi uxor, indole pueri mota, *germanice* illum legere et scribere doceret; *latinas* litteras ipse ex similitudine cognitas sibi reddidit; habebat nunc, quibus animum discendi avidum magis magisque cognitione litterarum instrueret; otiumque inter domesticos diversorii strepitus expleret; vixdum octennis Bibliorum volumen integrum bis jam perlegerat, ut historias inde et exempla ad imitandum promte posset commemorare. Accidit anno sexagesimo nono, cum annum ageret octavum, ut in pago vicino, Senshemii, ludum aperiret loci pastor; hunc triennium integrum ita frequentavit perseveranter, ut nulla tempestatis ratione habita, hyberno etiam tempore, bis singulis diebus eo iret rediret, tanta usus discendi alacritate et constantia, ut nullus discipulorum lectiones redderet promtius, nullus dicta retineret tenacius. Domum e ludo reversus, in taberna inter inconditos ebriosorum clamores, ipse auribus animoque aversus totus, litteris se dabat, audita repetebat, proposita memoriae mandabat; nec puer unquam conspectus est sine libro, quem non legeret, quem non excerperet.

Matre orbatus anno septuagesimo tertio (1573), natus annos duodecim, novercam accepit, quae privignum omnis generis laboribus ita exercebat, ut miser vix respirare, nedum libris vacare posset. Nunc sues pascere, nunc vaccas in prata ducere, nunc vineas colere, nunc debita hinc inde per pagos a rusticis potoribus exigere, nunc ligna findere, stabula purgare, aliaque sordida facere coactus. Obtinuit tandem a vitrico, precibus multis, ut se aliquo studiorum causa amitteret. Placuit Rothenburgum ad Tuberam, ubi avunculum habebat, scriniarium, hominem indole moribusque immitem. Hic quamvis an-

nua mercede pacta promisisset nepotem ad studia alere, suae tamen rei quam pueri studiosior, hunc aliis atque aliis laboribus domi adhibebat, maxime opificio scriniario, ut, cum interdiu litteris non posset vacare puer, noctu vel ad candelas, quas suo sibi nonnunquam aere comparabat, vel ad lunae radios pensum suum tractare cogeretur. Id vero unice agebat avunculus, ut puerum, abstractum penitus a ludo, suo negotio totum manciparet, faceretque scriniarium. Et paruit miser, jurgiorum verberumque pertaesus, coepitque gnaviter artem ediscere et exercere. Sed Deo aliter visum, cujus imperio omnia subsunt. Is excitavit virum aliquem bonum, scholae Rothenburgensis collegam, qui ultro hominem adiit, eumque, malam fidem exprobrans, ita verbis terruit, ut nepotem ex sorore post trimestre fere quam scriniariae initiatus fuerat, redderet scholae. Receptus hic nunc est ab agnato aliquo mitiore ac benevolo, et gratis quidem, atque etiam filii loco habitus, ut, quod unum semper exoptaverat otium libris litterisque dandum, nunc demum inveniret, apud agnatum indulgentissimum. Brevi nunc ita profecit in studiis, ut non latine tantum scriberet sed et graece, et inter caeteros scholae discipulos emineret.

Scholam Rothenburgensem regebat tunc M. Georg. Burckhardtus. Hic Tubingam vocatus anno 1575 ad professionem Dialecticam, ex numero discipulorum unum Müllerum, cujus ingenio mirifice delectabatur, comitem itineris sibi delegit, et dignum judicavit, in quo excolendo Tubingenses operam collocarent.

Sed Tubingensis academicus brevi novis angustiis summisque molestiis pressus est. Neglectus a suis, exterus hic homo, non habebat quo vitam sustentaret. Statuit vero, extrema omnia ante experiri, quam litteris va-

ledicere. Ut a fame miser se defenderet et tamen coepto non desisteret, *famulum* sese dedit Stipendio nostro theologico. Erat vero tum durissima sors famuli, maxime illius, qui infimo loco esset constitutus. Hic, praeter permulta alia, haec peculiaria insuper sortiebatur munia, ut non solum patinas ipse tergeret, et vasa culinae omnia elueret, sed et, mirum dictu! carnes, et in iis dimidiatos saepe boves, grandi pondere, binis uno die vicibus e macello urbano in Stipendii carnarium suis humeris apportaret, deinde coquo singula frusta appenderet et annumeraret. Hoc genus vitae pertulit Müllerus triennio, ad illud usque tempus, quo summos in Philosophia honores capesseret. Quid? quod illo ipso die, illa ipsa hora, qua inter festos tubarum cantus, in frequentissimo hominum conventu, publice et solemniter ipse erat Magister renuntiandus, visus est raptare suis humeris per forum ingens mactati bovis tergum. Quo facto, abstersis sordibus, huc accessit, ut principem ipse locum occuparet inter Candidatos viginti sex, inter quos qui *secundum* teneret, erat Matthias Hafenreffer, postea Cancellarius Universitatis nostrae, si quis alius certe dignissimus. Factum hoc est anno supra millesimum octogesimo primo (1581), cum viginti annorum esset Müllerus.

Inter vos, o mei, si qui sint, qui in re minime lauta versentur, Vobis exemplo esse debet tam pertinax litterarum studium, a quo nulla calamitas domi, aerumna nulla foris, animum hominis constantem avellere unquam potuit. Erat autem in Nostro tanta sedulitas, tanta virium intentio, ut ille exacto die inter molestissimos famuli labores, ternis ad summum horis somno datis, de media semper nocte surgeret, et tempus, quod alii somno nugisve insumunt, ipse Aristoteli suo aliisque bonis

auctoribus legendis tribueret. Insolentia tam pertinacis studii, ut aliis admirationi erat, ita Magistrum Domus (s. Ephorum) Heilandum non semel commovit, ut clam illum insequeretur, exploraturus, quid rei fieret. Nunquam autem alium deprehendit quam mensae assidentem, atque etiam in acerrimo frigore aliquid vel lectitantem vel memorantem.

Magister factus, abhinc mitiore fortuna uti noster coepit. Erat tunc temporis schola nostra multo quam nunc frequentatior, confluentibus hîc, maxime ex Austria, Styria, Carinthia, Moravia, Silesia, et vero etiam aliunde juvenibus permultis, ut teste Martino Crusio anno supra millesimum sexagesimo nono (1569) litterarum studiosi essent tantum non septingenti.

Müllerus vero Aristotelem tanta diligentia tantoque cum successu cognitum sibi reddiderat, in disputando tam strenuum, tam acrem se exhibebat, ut *Philosophi* nomine inter academicos veniret. Itaque non defuerunt, qui privatam ejus institutionem expeterent, ut jam liber a servitio bonis ab se partis vitam posset cum dignitate sustentare. Brevi consecutum est, ut Collegium Philosophicum ipsi publicas quoque disputationes regendas committere non dubitaret.

Inter haec privatim et publice docendi disputandique munia ipse, inde a captis Magistri honoribus, Theologiae operam suam navabat, doctoribus utens celeberrimis, Jac. Andreae, Dieterico Schnepffio, Jac. Heerbrando. Et Schnepffio quidem totum se tradidit, cum ob mores viri suavissimos, tum ob dulcem facundiam: hunc prae caeteris sectari, hunc colere, hunc ceu oraculum in rebus omnibus consulere. Pietatis suae erga optimum praeceptorem edidit prorsus mirabile. Schnepffius in ipso templo

horrore subito ita graviter perfusus, ut nec ipse nec alius quidam dubitaret, ex infecto aëre — talis hîc et in vicinia tum erat — noxii et venenati halitus aliquid corpus duxisse. Domum abiens statim decubuit, morbus seu vis illa pestilens (ut certe putabatur) ita statim ingravuit, ut medicamentis remediisque omnibus haud quidquam cederet. Hîc discipulus fidem suam ita comprobavit, ut ab optimi praeceptoris latere nunquam discederet, nec aliter se quam in unici parentis sui discrimine afflictaret, fidelis servi munia omnia exsequeretur, optaretque, si Deo placuerit, liceret *sibi* omnem veneni vim suo corpore excipere, atque in se ipsum transferre. Et urgente fatali hora, cum ad exitum omnia spectarent, ipse nihil contagionis metuens in lectum se inclinare, moribundum praeceptorem intra suas ulnas suscipere, dictis lectissimis solari et ad constantiam firmare, nec ante hoc officium deponere, quam *exanimum* corpus vidisset. O mirificam et laudabilem discipuli grati et pii erga praeceptorem constantiam et fidem, dignissimam certe, cujus non intercidat memoria. Contagionis enim metus ita omnes universe pervaserat, ut Senatus academicus, habita deliberatione, prudenter decerneret: non debere compellari professorem, immo vero nec quemquam alium, ut lugenti viduae lugentibusque filiabus sese adjungeret deducendi causa in pompa funebri, licet haec pompa ex aedibus pastoris in templum perpaucis absolveretur gressibus. Obiit Schnepffius, vir optimus, a. d. 9 Nov. anni supra millesimum octogesimi sexti (1586).

Müllerus hoc ipso anno, mense Decembri, pro gradu in Theologia disputationem a se scriptam per biduum integrum, a summo mane ad vesperam, in maximo frigore, inter auditores diversarum nationum et Sacrorum

discrepantium plurimos, magna cum admiratione omnium, inprimis Andreae praesidis, ceterorumque Professorum defendit.

Eodemque anno conductus est ecclesiastes in vicina arce et pago Büheln (Bühl), cujus potestatem tunc habebat Nobilis de Stein. Quod quidem officium ecclesiasticum cum academico ita conjunxit, ut diebus dominicis et feriatis solum mane illuc egrederetur, habitaque concione, sub meridium reversus in urbem, disputationes a prandio institueret, reliquos dies domi cum discipulis, quos in contubernio habebat, transigeret. Ecclesiae quidem totum illum vindicandum existimabat Theologorum tunc maximus, Jac. Andreae: sed aliter visum Deo.

Nunc enim Hizlero, qui luminibus captus esset, suffectus est professor linguae latinae et graecae, Classicus, in tertio ordine Paedagogii academici. Haud multos annos versatus in hoc munere, alium locum obtinuit, ampliorem spectatioremque. Sam. Heilandus, cujus magna erat inter aequales existimatio, inde ab anno quinquagesimo septimo (1557) Stipendii Theol. Magister Domus, s. Ephorus, et Ethices prof. publicus, laudatissimus, cum jam morbis senioque ipso confectus esset, visum est Principi, Seni optime merito minuendos esse labores in administrandis rebus Stipendii, adjuncto illi ex Professorum numero collega et adjutore. Qui famulus antea Stipendii servilem conditionem non detrectaverat Müllerus, constitutus nunc est Magistro Domus collega, anno (1591) nonagesimo primo, annos haud plures quam triginta natus; non ambiens quidem, nec tamen invitus. Non ulli unquam praeceptori obsequentior obtigit discipulus, quam hic Heilando collega, qui talem se exhiberet, ut non videretur adscitus in parem muneris administrationem, sed

denuo vocatus ad famuli officium: nunquam a prudentissimi et veterani Magistri latere discedere novus hic Domus Magister, sed omnia, quae ad justam et salutarem gubernationem pertinerent, partim ab Heilando ipso, veluti oraculo, coram sciscitari, partim ipse singula usu observare. Cumque proximo jam anno obiret Heilandus, in plenam muneris possessionem solus immissus est. Nunc Ethicae quoque professio, volente Senatu, Principe probante, cum Senatoris academici dignitate in eum transiit. Et cum paucis post annis Organi Aristotelici lectio vacaret, idem Andreae Planero, summo tum et philosopho et medico, successor constitutus est. Atque in hac statione perstitit per reliquum vitae tempus. Organi professio cum Senatorii et Philosophici ordinis dignitate ad extremum vitae mansit. Ab Ethicâ vero, et a Stipendii theologici gubernatione, clementer nec sine amplo donativo, liberatus est haud multo tempore ante obitum, quod et aetate et laboribus, quos fere annos triginta et sex sustinuerat, prope exhaustus esset. Obiit mense Augusto anni supra millesimum sexcentesimi vicesimi sexti, cum annum aetatis sexagesimum sextum uno circiter mense superasset; obiit opportuno tempore, evasit luctuosissima tempora belli tricennalis, quod Stipendium theologicum, immo et scholam universam, de ornatissima conditione, quam nullo tempore omnem recuperavit, misere deturbavit ac fere ad incitas redegit.

XIII.

De

HITOPADISHA,

SAMSKRITICO VETERIS SAPIENTIAE LIBRO,

ORATIO CANCELLARII

1813.

(Accedunt notitiae speciales.)

Celebrari coepit denuo, hac ipsa aetate nostra, liber fere nullo non tempore celebratus, qui haud uno nomine venit, nobis autem nunc dicatur *Liber Veteris Sapientiae*. Repetitur hic liber, saltem libri fundus, ex India orientali, et fertur ejus auctor *Brahmanus aliquis*, *Vischnu — Sarman*, qui olim scripsisse eum perhibetur in usum filiorum monarchae alicujus Indici, ipsius disciplinae traditorum, lingua Samskritica, nomine *Hitopadisha*, h. e. Institutio salutaris. Dignum eum judicavit quem ex Samskritico in Anglicum sermonem transferret celeberrimus *Guilielmus Jones*, et locum obtinuit haec versio in ejusdem operum, Londini anno 1799 editorum, volumine sexto. Copia autem facta antehac anno 1787 Londini editae versionis anglicae, profectae a *Carolo Wilkins*, atque haec sine mora in Gallicam linguam transfusa.

Saeculi quod nunc agitur anno *quarto* liber eo ipso qui auctoris erat sermone, Samskritico, expressus est typis dictis Devanagari, et editus in urbe Serampûr in Bengalia, curante Anglo, *Carey*, Missionario, praefante Anglo alio, *Colebrooke*. Nova editio facta in Anglia, quae Londini nomen et annum 1810 prae se fert, curante illo qui Samskriticas litteras profitetur *in Collegio Orientali, quod est in Anglia in Hailey-Bury*.

Aliter quidem statuit versatissimus in orientalibus litteris, vir perillustris, *Henricus Fridericus von Diez*, regis

---

*) Assemani Bibliotheca Orient. Tom. III. P. I. p. 223 in Nota.

Borussiae antehac Legatus Constantinopoli, nunc privatam vitam agens Berolini, qui in opusculo

Ueber Inhalt und Vortrag, Entstehung und Schicksale des Königlichen Buchs, eines Werks von der Regierungskunst — Berlin 1811. 8.

contendit, veram certamque, at incognitam aliis, originem libri esse hanc, quod tempore Nuschirwani, Persiae regis, *saeculo sexto*, ejus in administranda republica Minister, Buzri Dschumhûr, primus, ex suo unius ingenio, eum conceperit scripseritque lingua tum Persis familiari, dicta Pehlewi.

At haec de ortu patriaque libri quaestio jam non ad nos pertinet, et auguramur etiam, Diezium ipsum, re magis cognita, ad eos esse accessurum, a quibus discedendum sibi esse arbitratus est. De *versionibus* libri animus est dicere.

Et versiones libri factae sunt fere tot, quot sunt linguae cultiores, Arabica, neo-Persica, Syriaca, Hebraica, Graeca. Ex Hebraica manavit *Latina*, quae prima typis edita est, neque annum profitens neque locum, sed fere anno 1480 haud posterior, inscripta:

Directorium humanae vitae, aliâs Parabolae antiquorum Sapientum. fol.

Abhinc in Occidentis linguas complurimas dimanavit, quod in extremo Oriente ortum est. Prima omnium versio, Germanica, prodiit Ulmae 1483 ex typographia Leonhardi Holl, qui proximo jam anno, eoque vix medio, novam absolvit.

Exstat vero etiam editio anni locique incerti, quae, nobis visa et penitus cognita, videtur prima esse et princeps.

Atque hanc germanicam versionem communis est et pervulgata opinio, auctorem non alium habere nisi

Eberhardum Wirtembergiae Comitem eundemque Ducem primum, Barbatum, Probum.

Vanissimam esse hanc opinationem, paucis declarabimus.

Verum quidem et certum est ac nobis ipsis perspectum, veterem illam editionem, quam *primam* esse arbitramur, quamquam *verbis* Eberhardi mentionem facit prorsus nullam, in singulis tamen *litteris* habere singulare aliquod artificium, in nullo libro alio, quantum constat, observatum, quo Eberhardum Wirtembergensem significaret lectorum sagacioribus. Nimirum inde ab initio libri in singulis articulis, seu sectionibus, litterarum *prima* est Capitalis, non calamo adpicta, sed ligno incisa, variis ductibus et quasi floribus ornata — florentes nunc dicere solent bibliographi ejusmodi litteras capitales. — Hasce igitur initiales litteras, caeteris multo eminentiores, si servato eo ipso ordine, quo altera alteram consequitur, nulla vel omissa, vel additâ aliâ, componas junctasque colloces; quae nunc conspicis sunt haec:

Eberhart Graf z' Wirtenberg Attempto

(quo verbo Eberhardum tanquam dicto sibi proprio ac familiari usum esse novimus).

Casu neutiquam hoc accidisse, sed factum esse ex consilio certo, nec sane inepto, unusquisque intelligit. Editio Ulmensis anni 1483 (octogesimi tertii) nobis nondum visa. Sed quae hanc proximo anno secuta est, in exemplo, a nobis perspecto, Capitales litteras refert perpaucas, omissis quamplurimis calamo addendis: at articulos, seu paragraphos, eodem prorsus ordine habet dispositos, ut singulorum initiales litterae, quas sensus ora-

tionis addere praecipit, eandem ipsam, quam diximus, sententiam exhibeant.

Verum inde non consequitur nisi hoc, vel eum qui curavit editionem, vel adeo typographum solum, ex suomet ingenio id egisse, ut aliquod observantiae monumentum conspiceret, et librum quasi suo nomini inscriptum cognosceret Eberhardus. Ipsum autem sua opera latinum sermonem transfudisse in vernaculum, et verum versionis auctorem habendum esse, nulla ratione consequitur.

Et sunt argumenta in promtu, quae demonstrant contrarium.

Primum hoc: quod si vel voluisset Eberhardus versionem ipse conficere, facultatem rei perficiendae habebat nullam. Erat enim, nulla sua culpa, latini sermonis plane rudis. Quod qui de eo quidquam memoriae tradiderunt, norunt et professi sunt omnes. Qui unus est instar omnium, *Johannes Nauclerus*, quem pueritiae magistrum habuit Eberhardus, et per omnem vitam coluit amantissime, Nauclerus inquam, superstes discipulo, Chronici sui loco eo quo obitum Ducis commemorat, his quae recitanda videntur verbis usus est:

„Erat puer indolis eximiae, *cui ego primas litteras tradens prohibitus sum, ne eum Latinum facerem, satis esse* ducentibus (tutoribus), *si vernaculam linguam legere didicisset et scribere;* quod ille, vir factus, tulit molestissime. Studium itaque suum, prout ingenium habebat nobile, *mox* absolvit, quo peracto ne nihil ageret, lusibus atque lasciviis, ad quae prona est omnis aetas, se immersit" — caetera. — „At post ductam uxorem in alterum mutatus est virum, ut sicut priori aetate nemo illo insolentior fuit, ita virili toga induto nemo castigatior ac severior inventus est. — Factus est

simul

simul rerum omnium indagator solertissimus; erat enim celsi ingenii et ardentis animi, Sapientes propterea in quacunque re incredibili benevolentia et observantia coepit venerari. Et licet litterarum latinarum esset penitus ignarus, litteratorum tamen hominum conversatione delectabatur plurimum — — libros etiam vernacula lingua conscriptos omnes quaesivit ac avidissime perlegit, *multa adhaec praeclara opera in linguam teutonicam verti e latino curavit*, atque his quidem instrumentis orationem suam, ut erat eloquentia admirabili, sive historiam velles sive sententias, exornavit".
Haec Nauclerus.

Wilhelmus Schickard si audiatur, ex *Italico* sermone in Teutonicum ipse Eberhardus librum transtulit.

Hanc suam unius sententiam litteris consignavit vir eximius proximis ante obitum diebus in Praefatione, haud indigna ipsius ingenio et doctrina, quam rogatus scripsit ad opusculum, quod ex editione gallica germanice interpretatus est *Jo. Frid. Ochssenbach*, Tubingensi arci praefectus, dictum *Gulistân* seu Rosetum, auctore *Sadi*, *Persa;* posthac Gentius latine vertit inscripsitque, *Rosarium politicum.*

At Schickardi auctoritas quamquam apud me est permagna, fontem tamen desidero et frustra requiro, unde hauserit istam suam peculiarem sententiam. Testem ipse nuncupat nullum; nec multum abest ut suspicer, ex *opinatione* magis quam ex certa notitia linguam ex qua versio ducta fuerit *Italicam* illum statuisse, quod haud ignoraret, *latini* sermonis prorsus ignarum fuisse Eberhardum, et tamen haud vellet non haberi Eberhardum versionis auctorem, sibi bene cognitae ex usu editionis illius primae, sine loco et anno, exprimentis ut diximus sectio-

num, continuo ordine sequentium, *primis* litteris nomen Eberhardi: exemplum enim hujusce editionis illud, quod nunc est bibliothecae Regiae publicae, olim erat, ut ipse meis oculis cognovi, Wilhelmi Schickardi.

Sed *Italici* sermonis usum habuisse Eberhardum, et quidem talem, qui versioni conficiendae sufficeret, nulla ratione constat: neque enim hoc inde consequitur, quod conjugem habebat *Mantuani* principis filiam, natam tamen matre Germanica, filiâ marchionis Brandeburgensis, et quod ipse Italiam brevi itinere obiit. Constat autem hoc, Eberhardi aevo nullam praesto fuisse *Italicam* versionem typis editam. Si privatâ aliquâ, calamo non typis descripta, usum illum esse dixeris, *mire* hoc accidit, quod non possit non esse ducta ex *latina* editione; hancce enim unam in omnibus referre Teutonicam, positum est extra dubitationem.

Enimvero quid multa? Testem habemus — quod alterum argumentum est — qui unus dirimendae rei sufficit.

Conr. Summenhart, theologiae professor Tubingensis eximius, Eberhardum, defunctum anno (1496) nonagesimo sexto Matthiae Apostoli die, mox nona die Martii laudavit oratione publica funebri, quae biennio post typis hîc edita est, atque etiam repetita a *Christoph. Besoldo* locum habet in ejus Dissertationibus juridico-politicis. Summenhartus igitur, multa diligenter locutus de optimi principis studio in conquirendis legendisque libris et sacris et aliis, pronuntiavit haec:

„Opus praeterea quoddam fabularum perutile, quod primo Indice, post Persice, dehinc Arabice, Hebraice pariter et Latine exaratum fuerat, *ipso jubente* primo in linguam transivit Germaniae (Scite Besoldus,

in sua editione, pag. 70. posuit in ora ad hunc locum: das Buch der Alten Weisen)".

Vim habet atque auctoritatem hoc dictum singularem, quod ejus est, qui rebus, de quibus verba facit, non modo praesens fuit, sed vero etiam ipsis interfuit, utpote ab optimo principe ad suam operam in vertendis libris praestandam cum aliis exhibitus, quod ipse testatur.

Quae cum ita se habeant, est sane cur mireris, subortam esse, et quidem proximo jam tempore subortam esse famam, quae Eberhardum non *Versionis* quidem, sed adeo *libri ipsius auctorem* venditaret.

Primus, quod constat, hoc professus est *Joachimus Camerarius*, praeclarae memoriae, qui ingenio multum, nec minus judicio valebat, sed quod rei minus gnarus esset, incautius eam edisseruit. In Oratione de Eberhardo, anno 1537 publice hîc habita, recte ille tradidit haec: — operam dedit, ut „veterum scripta, tam praeceptorum „quam exemplorum, atque historica cognosceret. Quae „cum de lingua latina transferenda essent quam ipse non „intelligeret, traduci in teutonicum sermonem praecipuos „libros auctorum latinitatis curavit, illisque legendis stu„duit animum judiciumque suum instruere et erudire, ne „imparatus a doctrina ad capessendam regendamque rem„publicam videretur accessisse". —

At progressus aliquantisper in dicendo, perperam haec addidit:

„Quantae autem curae sibi esse passus fuerit Rempublicam et optimum statum civium, quantumque operae consumserit de his cogitandi, quaerendi, lectitandi, indicat *et libellus ab eo compositus et publicatus de administratione rerum publicarum.*"

Quibus in dictis ille *libellus* de administranda re-

publica non potest significare aliud quidpiam nisi· Opus complectens dicta et exempla Sapientum veterum, quod *libellum* qui dicit, ipse prodit, nec visum sibi unquam nec cognitum opus fuisse.

Martinus Crusius, in Annalibus Suevicis (quos conscribere coepit anno aetatis LXIII. natus anno 1526.), haec refert de Eberhardo:

> Ex quotidiana eruditorum familiaritate eam eruditionem consecutus est, ut, quamvis latinarum litterarum ignarus esset, tamen de omnibus rebus disserere posset, cum quidem ingenio memoriâque valeret. —
>
> Librum *Ipse* eruditum de Aulica vita Germanice *scripsit* aliisque Casibus mundi, tali Epigraphe: DE DICTIS SAPIENTUM: quem audio Latine et Italice conversum esse.

In Margine idem temere adscripsit haec verba:

„Reinart Fuchs, regnard".

Quae omnia sane ita sunt comparata, ut audacia hominis magis etiam vituperanda videri possit, quam rei ignorantia.

Hinc traditio de Eberhardo *libri auctore* ad plures transiit et fere popularis reddita est.

Visum est primis saeculi proximi annis, Bibliorum vernaculorum volumini, deinceps etiam Canticorum sacrorum editionibus domesticis, adjungere brevem de Ducibus Würtembergiae narrationem, consilio ut mihi videtur haud improbando. Narratio haec exhibet:

> Eberhard (der Erste) bezeugte grofse Zuneigung zu freyen Künsten und Wissenschaften, beklagte öfters, dafs er in seiner Jugend nicht zu den Studien angehalten wor-

den, schrieb gleichwohl selber ein Lehrreiches Buch: der Weisen Spruch genannt. — Narrationis auctor dicitur Jo. Ulr. Pregizer, historiographus haud incelebris, mortuus 1708.

Caeteros scriptores commemorare haud opus. Steinhoferus tamen non praetereundus. Recitare lubet ejus dicta, Chron. Würt. Vol. 3 pag. 630:

> Die teutsche Bücher hat er alle mit Fleifs gelesen, auch Viele zu verteutschen befohlen, ja selbst ein teutsches Buch ausgehen lassen, dessen Titul: *der alten Weisen Exempel-sprüch*, in welchem Buch er fornenher, nach der Vorrede, seinen Nahmen also, zu Anfang der Capitel oder paragraphorum, eingeschlossen, dafs es wohl niemand anderer für sein eigen Buch ausgeben und verkaufen mögen, indem er nicht allein den Namen *Eberhart Graf zu Württenberg*, sondern auch sein Symbolum, *Attempto*, dazu gemachet, damit nicht jemand gedenken möchte, es wäre vielleicht seines Vettern, Graf Eberharden des Jüngern Arbeit. Was in demselben Buch vor hohe Weifsheit unter Fabeln, oder fabelmäfsigen Historien verborgen sey, wird Niemand besser erkennen, als der es selbst mit Andacht gelesen.

Et hic quidem Steinhofer expressis verbis perhibet, *Naucleri* ipsius fide et auctoritate se uti in hisce tradendis. Enimvero Naucleri Chronicon si adeas interrogesque, tantum abest ut dictis respondeat, ut potius ne levissimam quidem istiusmodi mentionem faciat. De illo igitur quid statuendum? Ipsemet rem omnem effinxisse,

lectoribus, immo vero sibi ipsi fucum fecisse censendus est?

Compertum nobis et exploratum hoc, Steinhoferum hac in re ita versatum esse, ut, ne consulto quidem Nauclero, locum omnem sumeret exscriberetque ex opere inedito, quod tabularii regii est, *Oswaldi Gabelkoferi*; levissimo hoc discrimine, ut *ipse* diceret: der es selbst mit Andacht gelesen, adtente: *ille* cum dixerit: der es selbst cum judicio gelesen.

Gabelkofer itaque censendus est interpolasse dicta Naucleri et sua interposuisse, scilicet, ne quid negligeretur, quod pertineret ad *laudem* Eberhardi.

Sed, laudatoribus istis non Eberhardus eget. Non est cur dubia, atque adeo vana merita tribuas illi, cui *vera* non desunt, et permulta et praeclara. In quibus eminet hoc, quod auctor ille est et conditor nostrae litterarum Universitatis, cui ut nullo non tempore propitium habeat Numen, unusquisque bonus non potest non mecum precari.

Martinus Crusius orationem suam de illustrissimo Principe Eberhardo Barbato, quam habuit abhinc ducentis et viginti annis (1593.) in triginta trium Magistrorum creatione, exorsus est his verbis:

> „Producimus XXXIII adolescentes, honestos et doctos, hoc die Magisterii philosophici honore afficiendos.
>
> Miraretur profecto multum illustrissimus Wirtembergiae Dux piae memoriae Eberhardus, hujus fundator academiae felix, si nunc adesset: miraretur magis, si aliis temporibus, tot adolescentes, primae et secundae laureae philosophicae, tot viros superiorum facultatum honoribus ornandos videret.

Gauderet ex animo, se fructum laborum et sumtuum suorum non perdidisse".

Quam vero, ut cum bono Crusio loquar, quam quaeso miraretur Eberhardus noster, si, quotquot ab isto tempore *) hic creati sunt, Magistros et Doctores omnes, uno agmine, conspiceret!

Accedant nunc, quod res ita fert, multis millibus novi undeviginti etc.

Additamentum ex litteris b. Schnurreri ad Celeb. Sylvestr. de Sacy datis.

Ich habe noch Einiges von dem Buch der Weisheit zu berichten. Es ist mir endlich gelungen, ein Exemplar von der Ausgabe Ulm 1484 zur Ansicht zu bringen. Aber dieses ist erst geschehen, nachdem die Ausgabe sine loco et anno von mir längst nach Stuttgart zurückgeschickt worden war. Diese konnte ich nicht wohl schicklicher Weise zum zweiten Mal verlangen. Und so kann ich nun keine genaue Vergleichung anstellen zwischen den 2 Ausgaben. Ich finde, dafs Alles, was Küstner aus der Ausgabe 1483 anführt, ebenso in der Ausgabe 1484 zu lesen ist, mit geringem Unterschied in der Rechtschreibung.

Das Ende der Ausgabe 1484 lautet so:

Vnd sprach, du bist der im selbs feindt ist: du kundest der tauben guten ratt geben ir iunge vor mir zu

*) Joh. Harpprecht, in Oratione de Eberhardo Barbato, habita 5 Jul. 1617 affirmavit, Facultatis Philosophicae ordinem inde ab Academiae Natalibus usque ad hunc diem creavisse Magistros ter mille septingentos septuaginta septem. Oratt. pag. 740.

behalten vnd kundest dir selbs nit raten vnd frafs yn vnd damitt hat diefs Buch ein end.

Hie endet sich das Buch der weifshait oder der alten weisen von anbeginn der Welt von geschlecht zu geschlecht.

Gedruckt vnd vollendet durch Lienhart Hollen zu Vlm nach Christi Geburt. M. CCCC LXXXIIII iar an dem negsten mitwoch vor pfingsten. A M E N.

Die Ausgabe sine loco et anno hat, wie Sie wissen ...... „vnd frafs in da nüchter", (Comma) und weiter Nichts. Dieser Schlufs scheint doch nicht darauf zu führen, dafs die Ausgabe 1484 früher sei, als die Ausgabe sine loco et anno. Wäre die Ausgabe 1484 schon vorhanden gewesen, so müfste wohl die Ausgabe sine loco et anno aus Jener den Schlufs angenommen haben.

Die Ausgabe 1484 hat ganz sicher

Regierender herr des reichs, zu edom was | ein gewaltiger könig bei seiner Zeit genant | Anastres tafsri,

und ebenso auf der nächstfolgenden Seite

Vnd bracht die in die sprach der perfsen, vnd kam widtr (sic, ein t statt des e) zu seinem herrn anastren tafsri. Das vor mir liegende Exemplar von 1484 hat auch kein Titelblatt (auch nicht einen Holzschnitt vorne), das erste Blatt hat unten die Signatur I | (d. i. 2): der Anfang des gedruckten Texts ist:

As ist dz Reigister (sic) über das Buch der weifshait u. s. w.

Der grofse Anfangsbuchstabe fehlt meistens (so wie hier das D zu As). Dieses Exemplar könnte nicht zu dem Acrostichon führen, Eberhart Graf z' Wirtenberg Attempto.

Der erste grofse, in Holz geschnittene und gedruckte Buchstabe zeigt sich zu Anfang der Vorrede.

As ist von den alten Weisen (Es ist von den alten Weisen).

Der nächste Absatz (a linea), der mit dem Wort Beyde beginnt, hat nur Eyde, so der folgende, dessen Anfangswort ist Einem, hat nur Inem, u. s. f. Weiter hin zeigt sich der grofse Buchstabe R, noch weiter ein G, dieses zu Anfang

des ersten Capitels, und wieder ein G, zu Anfang des andern Capitels. Wird zu jedem Absatz der Anfangsbuchstabe hinzugedacht, so hat man richtig:

EberhaRt Graf z' wirtenberG attempto

Das 3te Capitel hat zu Anfang einen solchen grofsen Buchstaben, und so hat jedes der folgenden Capitel, ohne Ausnahme, seinen grofsen Anfangsbuchstaben. Von diesen 15 Capiteln (3 bis 17) beginnen 13 mit D und 2 mit E. Andre in Holz geschnittene gezierte Buchstaben finden sich nicht.

Jede Figur oder Abbildung nimmt die ganze Seite ein. In der Ausgabe sine loco et anno, wenn ich mich recht besinne, nimmt die Abbildung nur einen Theil der Seite ein. Uebrigens ist das Exemplar der Ausgabe 1484 ein mauvais sujet, manches ist abgerissen, als hätte es Kindern zur Unterhaltung dienen müssen.

Ueber die Stelle, Diez vom Höniglichen Buch S. 163. Dafs Diez das Vorgeben des Crusius (nicht pag. 471, sondern 439) librum — *scripsit*, hat ungerügt passiren lassen.

Auszüge aus dem Schreiben des H. von Diez an mich, Berlin 27 Febr. 1813. Ueber die Stelle Coleila, pag. 28 unten meine Berichtigung in der Allg. Litt. Zeitung Num. 28. 30 May 1786.

An Herrn de Sacy 28 Jänner 1813.

Ich hätte verzweifeln mögen darüber, dafs ich Ihr Schreiben vom 13 December so lange unbeantwortet lassen mufste. Als ich es erhielt, den 27 Dec., war ich im Begriff, selbst nach Stuttgart zu kommen. Zu dem Neujahrs-Tage, an welchem zugleich die Feier der Königswürde ist, wird auch von der Universität eine Deputation geschickt. Ich schrieb sogleich an Hrn. Köstlin, der jezt in Stuttgart seinen Aufenthalt hat, er möchte auf der Königl. Bibliothek die ältesten Ausgaben von dem teutschen Bidpaï (so will ich der Kürze wegen sagen) erkundschaften, und sie rüsten lassen, damit ich selbst sie sehen und gebrauchen könne. Aber die Feyer wurde abbestellt, wegen der unlieblichen Nachrichten aus Norden, meine Reise unterblieb. Und nun, da nach langem

Warten etwas geschehen, ist doch meine Erwartung nicht erfüllt; es ist nicht vorhanden, was ich meynte sicher annehmen zu dürfen.

Sie schreiben: N'ayant pu voir ce livre, j'aurois voulu du moins être à même de consulter les kurze Nachrichten von den Büchern de Kaestner, où d'aprés l'assertion de fr. de Blankenburg j'aurois espéré trouver une notice exacte et detaillée de ce livre. Es giebt kein Buch von Kästner unter diesem Titel. Blankenburg sagt S. 540 col. 1: „dafs Bidpai und Sandaber eines sind, hat nicht allein Herr Kästner, Verm. Schriften, Altenburg 1745 S. 226. u. s. w." Vermischte Schriften von Kästner sind angeführt, ganz richtig; nur in der Jahrzahl 1745 liegt ein Druckfehler, es sollte heifsen 1755. Ich habe vor mir die neueste Ausgabe, vermischte Schriften von A. G. Kästner, Altenburg 1783. 8. Diese hat S. 238—251 „Nachricht von einer alten deutschen Uebersezung des Buchs Kelila und Dimme an Herrn Friedrich Gotthelf Freytag". Die Nachricht ist nicht gerade bibliographisch, sie befafst mehr den Inhalt. Kästner beschreibt die Ausgabe Ulm 1483. fol.

Blankenburg giebt an eine Ausgabe, sine loco, in fol. und sodann eine Ulm 1483 fol. und eine Ulm 1484 fol. mit 126 Kupfern. Diese 2 Ulmer Ausgaben hoffte ich in Stuttgart zu finden. Sie sind nicht vorhanden. Nur allein die Ausgabe sine loco habe ich endlich zur Ansicht gebracht.

Das Exemplar, höchst wahrscheinlich die Ausgabe selbst, ist ohne Titel. Neben dem ersten gedruckten Blatt, das eine Einfassung hat, steht links ein Blatt Holzstich, ein König mit Krone und Scepter auf dem Throne, vor ihm ein Mann mit einem nicht geöffneten Buch. Der Drucktext beginnt:

> Dieses Buch sey zuerst in Indischer Sprache gedichtet, sodann in das Persische, aus diesem in das Arabische übergetragen, ferner sey es Hebräisch gemacht worden, zulezt Lateinisch, und jezt sey es auch in teutscher Zunge geschrieben.

(Es heifst nicht ausdrücklich: aus dem Lateinischen sey das Teutsche gemacht; indessen Kästner, der die lateinische Ausgabe hatte, und zwar dasselbe Exemplar, das Freytag, Analecta litteraria (so schreibt Kästner, es sollte aber heifsen, Apparatus litterarius, Tom. III. 28) beschrieb, spricht immer vom deutschen als von einer Uebersezung aus dem Lateinischen, die jedoch nicht ängstlich sey, sondern frey.)

Auf S. 7 steht: diefs ist das end der vorred.

Und nun heifst es: der König von Edom Anastres cafsri (cafsri; die Ausgabe: Ulm 1484 hat Anastres tafsri) schickte seinen Arzt Berosias nach Indien u. s. w. Berosias übersezte die Schriften aus dem Indischen ins Persische, und brachte sie seinem König, (auf der nächsten Seite: vnd kam widtr. (sic) zu seinem herrn anastren Tafsri dem könig). Dieser gebot in seinem Reich Schulen aufzurichten, die Bücher zu mehren,

> „unter denen ward dies Büchlein auch in Indischer schrift gefunden, und von seinen schriftgelehrten in die Sprach der Persen gesezt, und sie fanden seinen Nahmen, die Titel, also:
>
> Dis ist das Buch der Byspel der alten wysen von geschlechtern der welt Und ist der Anfang des ersten capitels und den nachfolgenden als symach geschrieben hat,

Registrum

1. Cap. von Berosia. 2. von dem Löwen und dem Ochsen.
3. Von Versuchung neidischer Sachen. 4. Von der Taube.
5. Von dem Raben und dem Adler. 6. Von dem Affen und der Schildkröte. 7. Vom Einsidler. 8. Von der Maus und dem Maushund (der Kaze). 9. Vom König und einem Vogel. 10. Vom König Sedra (sedra). 11. Von einem Jäger und einer Löwinn. 12. Von dem Einsidler und dem Waller. 13. Von dem Löwen und dem Fuchs.
14. Von dem Goldschmid, dem Affen, der Natter und der Schlange. 15. Von des Königs Sohn nnd seinen Gesellen. 16. Von den Vögeln. 17. Von der Taube und dem Fuchs. Das 17te Cap. ist das lezte. Die Schlufszei-

len des Ganzen sind: „Und (der Fuchs) sprach: du bist der „ihm selbst feind ist, du konntest der Taube guten Rath ge- „ben, ihre Jungen vor mir zu behalten, und konntest dir „selbst nicht rathen vnd frafs in da nüchter".

Ueber die Hälfte der lezten Seite ist unbedruckt.

Die Ausgabe Ulm 1484 so: .... „nit raten vnd frafs yn vnd damitt hat difs Buch ein end".

Nichts von Joh. de Capua, oder einem Directorium vitae. Auch Nichts von einem Rabbi Joël. — (Stark sagt praef. §. 19. „Ebraicae versionis meminit Germanica", difs kann nicht so genommen werden, als sagte er, der Auctor versionis Ebraicae werde genannt; er sezt hinzu: *tum* et Italica, atque in *hujus* praefatione illius author allegatus quidem R. Joël.) —

Nichts von Chosroës Nuschirwan. Je und je zeigt sich der Nahme Dissles und Sendebar, z. B. zu Anfang des 2ten Cap. „Gib mir, sprach Dissles, K. von Indien, zu Sendebar u. s. w. Auch zu Anfang des lezten Cap. Dissles der König sprach zu seinem Minister Sendebar u. s. w. Den Nahmen Bidpai meyne ich nicht getroffen zu haben. — Kästners Beschreibung mufste denjenigen, der das lateinische Directorium daneben hätte, bald belehren, ob das Teutsche wirklich unmittelbar aus dem Lateinischen gemacht ist. Kaum läfst sich dieses bezweifeln; denn eine andere europäische Version war doch nicht vorhanden.

Zwar sagt Schickard, Vorrede zu Ochssenbachs Gulistan (die Stelle ist Herrn von Diez nicht unbekannt geblieben. Siehe Königl. Buch, S. 135).

— — — — — — — — —

Aber ich vermuthe, die Ursache, warum Sch. den Eberhard aus dem Italienischen übersezen läfst, sey nur diese, weil kundbar Eberhard in seiner Jugend nichts vom Lateinischen, überhaupt Nichts gelernt hat. Aber eben so wenig wäre er fähig gewesen, aus dem Italiänischen zu übersezen. Gesezt auch, die Sprache war ihm bekannt, und er habe von der Schrift eine italienische Uebersezung im Mst. gehabt; so wäre er doch nicht fähig gewesen, sich in der teutschen Sprache leicht auszudrücken, da er ohne alle Bildung aufge-

wachsen ist. Aber artig und richtig ist, was Schickh. von den Acrostichis sagt, was ich sonst nirgends, nur allein bey ihm gefunden habe.

Wenn man bey dieser Ausgabe (sine anno et loco) gleich von Anfang an die grofsen gezierten auf Holz gestochenen Buchstaben, deren einer jedesmal zu Anfang des Absazes (a linea) steht, an einander reiht, so ergiebt sich

Eberhart Graf z' Wirtenberg Attempto (sein Wahlspruch). Es mufs sich sonderbar fügen, dafs das Exemplar der K. öffentl. Bibliothek gerade ebendasselbe ist, das Schickhard selbst ehedem in Händen hatte. Bey dem ersten Anblick erkannte ich an demselben die mir wohl bekannte Hand; diese hat auf dem ersten Blatt, dem Titelkupfer, würde ich sagen, wäre es nicht Holzschnitt, oben folgendes beygeschrieben:

„NB. Das Buch genant Kegila ve Timna ist neben dem „Schach Spiehl, vnd der jez gebreuchlichen Zifern oder Zah„len das 3te so die Indianer inventirt, vnd von ihnen gerüh„met wird. Ist von Eberhart Graff zu Wirtenberg wie die „literae initiales iedes periodi aufsweissen, verteüschet wor„den".

„Das Schachspiel soll zu Babylon einer namens philome„ter vnder könig Elmaradab zu dem end erfunden haben, „damit dem tyrannischen könig die weifs recht zu regieren „möcht gewissen werden".

„Ad. Olearius in Schick. Saadi pag. 140".

Dafs die Uebersezung von Eberhard selbst gemacht sey, ist wohl nur Meynung, und diese Meynung kann schwerlich bestehen. Jene Einrichtung mit den Anfangsbuchstaben ist doch weiter nichts als eine Huldigung, von dem Uebersezer, oder wohl gar nur vom Drucker. Immer möglich, dafs Eberhard die Ausgabe gewünscht, befördert habe.

An Hrn. de Sacy, 30 Januar 1813.

Vor wenigen Tagen wurde ein Brief zur Post gegeben, der von der alten teutschen Uebersezung des Bidpai einen Bericht enthält, so gut ich ihn zu geben vermochte. Mir ist es

grofse Freude, dafs Sie Sich dieses Gegenstandes mit Ernst annehmen, Sie, und nur Sie können die Sache ins Klare bringen.

Das Buch von Panzer, Annalen der ältern deutschen Litteratur, Nürnberg 1788. 4 ist doch wohl dort vorhanden. Hier ist Nachricht von den alten Ausgaben zu finden, s. das Register, voce: Buch der Weisheit der alten Weisen. Zu den dort gegebenen Seitenzahlen gehört noch, als die Erste. S. 49. Num. 88.

Von einem Exemplar der Schrift des R. Kalonymos ist hier keine Spur. Ich selbst besize nichts von dieser Art als Parabolae vulpium R. Barachiae Nikdani. Hebr. et Lat. Pragae 1661. 8. eine schlechte Ausgabe.

Zu Keleila wa Dimnah habe ich Nichts als
Starkii Specimen Sapientiae Indorum veterum. Berolini 1697. 8. S. La moral filosophia del Doni. in Vinegia 1552.

Alles steht Ihnen zu Diensten, mit Freude würde ich es Ihnen übergeben.

Hr. Wilken ist kürzlich erst mit der Ausarbeitung seines zweyten Bandes fertig worden, dieser wird also erst zur Oster-Messe erscheinen. Da bringt wohl er selbst das Exemplar für Sie nach Paris. Er hat es mir geschrieben, dafs er von Ihnen die Nachricht erhalten habe, er sey Correspondent der dritten Classe. Dies hat auch mir Freude gemacht, es hat meine eigene Freude vom J. 1804 lebhaft erneuert. Ich lese jezt mit Vergnügen die Hist. des Croisades de *Michaud*. Wahrhaftig, auch wenn man Wilken gelesen hat, kann man, mufs man noch einen grofsen Genufs daran finden. Hr. Pillet erregt meine Verwunderung mit seinem Mémoire, das so schöne Kenntnisse entfaltet. Ich stand in dem Wahn, er sey nur Amateur der Bibliographie. Nun sehe ich, dafs er ein kritischer Kenner der Geographie ist.

Ich vernehme gern das Gute, das Sie mir von Hrn. Kosegarten sagen: es ist zu hoffen, er werde Ihrer Schule Ehre machen.

XIV.

DE

TYPOGRAPHIA TURCICA CONSTANTINOPOLITANA.

ORATIO DECANI

1788.

Qui alio tempore, Vobis, ut equidem videre mihi videbar, haud plane improbantibus, verba feci de litterarum apud Turcas hac nostra aetate cultura ac studio, nunc, occasione ita ferente, vestra cum venia, quod superest argumenti subjungam, dicturus nonnulla

de typographia Turcica Constantinopolitana.

Neque vero typographia omnis omni tempore Constantinopoli exulasse putanda est. Etenim diu est, ex quo *Judaei* ibidem ejus exercendae initium fecerunt, sed ita, ut ad *suae* gentis rationes unice omnia referrent. Extat pentateuchus hebraeo-chaldaicus, anno jam (1505) millesimo quingentesimo quinto ibidem editus a Judaeis Hispania pulsis, aliusque ab hoc diversus, qui anno seculi decimi sexti vicesimo secundo prodiit. Utroque multo memorabilior est pentateuchus Constantinopolitanus tetraglottus, hebraeo-chaldaeo-persico-arabicus, excusus anno seculi decimi sexti quadragesimo sexto, quem mox proximo anno secutus est alius, hebraicus, chaldaicus, hispanicus et barbaro-graecus. Immo, teste Toderinio, hujus nostri saeculi anno demum quadragesimo secundo prodiit Constantinopoli pentateuchus hebraicus quinque voluminum in 4o, qui adjectam habet versionem hispanicam cum commentario Raschii. Armeni etiam Graecique non carent libris Constantinopoli editis: et hi quidem reliquisse nunc videntur negotium typographicum, libris utentes editis Lipsiae, Venetiis atque etiam

in Walachia: illi autem, magis etiam Judaei, adhucdum prelum chalcographicum exercent haud negligenter.

Turcae autem ipsi tardius, et sero demum, ad suscipiendam typographiam accesserunt: neque id fecisse putandi sunt ex imitatione exempli in proximo positi et plane domestici: sed, quod mirum videri possit, e longinquo petita sunt hujus rei initia atque incitamenta. Et vere quidem Lutetiae Parisiorum nata ac orta dici potest prima de suscipiendo tali opere cogitatio. Etenim anno hujus saeculi vicesimo in Galliam ab imperatore Turcico legatus missus est Mehemet Efendi, qui filium juvenem Saîd Efendi comitem itineris sibi adjunxit. Hic ubi Parisiis, praeter alias res memorabiles sibique invisas insolitasque, typographiam quoque spectasset, maximopere miratus facilem hanc nec nimis sumtuosam describendorum librorum rationem, artificii hujus imaginem et quoddam quasi desiderium secum in patriam reportavit. Redux itaque factus, socium consilii adscivit Ibrahimum Efendi, virum subacti promtique ingenii, qui natus quidem in Hungaria atque a litteris haud imparatus, christianam religionem cum Muhammedica commutasset. Hic librum singularem de multiplici typographiae utilitate a se conscriptum obtulit summo imperii ministro, rogans, velit rem, si digna visa fuerit, suo dignari patrocinio. Placuit consilium; summus religionis jurisque antistes (Mufti dicitur, h. e. qui suo judicio veritatem seu jus rei decernit) diu multumque deliberata, tandem pronunciat: fas et jura sinere, ut exceptis, qui ad religionem pertinent, libris, reliqui omnes, qui vel de linguis praeciperent, vel scientias tractarent, prelo exprimantur. Redditum itaque est liberalissimum Sultani decretum, quo

Saîdo Ibrahimoque jus et potestas tribuitur officinam typographicam instituendi, atque libros, quos vellent, praeter canonicos, omnes excudendi: constitutis simul quatuor viris gravibus atque in dignitate positis, qui censorum officio fungerentur, atque ut libri quam castissime atque emendatissime prodirent, sedulo curarent. Scriptum est hoc decretum Imperatoris ad diem V Jul. 1727. habetque praeter alia memorabilia etiam hoc, quod gratuletur sibi Sultanus, talem rem in sui regni tempora incidisse, significetque spem certam, fore, ut et qui tunc viverent homines et posteri pro accepto tanto beneficio gratias ipsi habeant, ac fausta omnia precentur. Instituta nunc est absque mora, haud exiguam sumtuum partem subministrante aerario publico, officina typographica, formulis non, ut quidam perhibent, ex Lutetia petitis, sed domi novo plane ausu fusis factisque, atque omnis res ita feliciter peracta, ut secundo jam anno primum opus, neque id exiguae molis, absolutum esset, inque lucem publicam prodiret.

Prodiere intra quatuordecim annos opera sedecim, quorum tituli recensentur in egregia commentatione Jenischii de fatis linguarum orientalium, arabicae nimirum, persicae et turcicae, praefixa novae editioni Lexici Meninskiani, quae Viennae prodire coepit anno 1780. Initium factum a dictionario arabico-turcico duorum voluminum, fol., cui pretium publica auctoritate constitutum est triginta quinque piastrorum, h. e. quadraginta et quod excurrit florenorum. Est hoc celebratissimum illud ac primarium arabicae linguae dictionarium a Gjauhario confectum, e quo suum lexicon arabico-latinum maximam partem derivavit Jo. Golius. Et quemadmodum hoc, quo nos uti solemus, opus nomen a Golio habet, dici-

turque Lexicon Golii: ita Constantinopolitanum opus praefixum sibi habet nomen Wan-Kûli, quod qui turcicam interpretationem arabicis vocibus subjecisset, esset ex Wano, Armeniae majoris oppido, oriundus, atque hinc Wankuli dictus.

Secutus est liber historicus, qui magni inter Turcas nominis auctorem habet, agitque de bellis Osmanidarum mari gestis, additis etiam tabulis geographicis, quarum prima exhibet utrumque Hemisphaerium terrestre, secunda mare mediterraneum et nigrum, tertia insulas imperio Osmanico subjectas, quarta sinum Adriaticum cum suis insulis. Tantopere probatus est liber Turcis, ut mox nova ejusdem editio, quae tamen primam exacte referret, esset curanda.

Tertius liber, inscriptus: Chronicon peregrinantis, turcico sermone bellum exponit ab Agwanis contra Persas gestum. Hujus libri postquam exemplum aliquod obtinuisset Jo. Christian. Clodius, professor arabicarum litterarum Lipsiensis, dignum eum existimavit, quem a se latine conversum iterum ederet servato etiam titulo. Verum Constantinopolitana editio ipsa non est nisi versio ex latino sermone, confecta ab Ibrahimo, typographiae turcicae magistro, qui ex Hungaria, ut diximus, a christianis parentibus ortus, latini sermonis ignarus haud erat. Verus libri auctor est Thaddaeus Krusinsky, Polonus, societati Jesu olim adscriptus, qui, Ispahani dum degeret per complures annos, rerumque gestarum magnam partem ipse spectaret, historiam belli Agwanitici latine conscripsit, editam postmodum Lutetiis Parisiorum, alibique, ac novissime Leopoli anno hujus saeculi quadragesimo. Immo et Turcicae illius versionis verus auctor

esse dicitur Krusinskius, quam suam venditare haud dubitavit Ibrahimus.

Quartus liber inscriptus est: historia Indiae occidentalis, h. e. Americae. Scatet quidem turpibus ridiculisque fabulis; sed memorabilis tamen est eam ob causam, quod imagines exhibet plantarum, animalium hominumque, a quibus, utpote in Korano proscriptis, alias abhorrere Moslemos satis constat: quapropter difficile est exemplum libri reperire, quod illaesum sit, nec figuris istis, utpote profanis, mutilatum.

Quintus historia est Timuri, Turcice reddita ex arabico opere Ahmedis Arabschiadae, quod Golius primo edidit, deinde cum latina versione notisque Mangerus, theologus in Belgio haud incelebris.

Sed ne *omnibus* ex ordine recensendis molestus Vobis evadam, Auditores, memorabiliores tantum afferam, reliquis levioribus omissis.

Anno tricesimo prodiit grammatica gallico-turcica in usum Francorum, gallico sermone exarata et Cardinali de Fleury, primario tum temporis Francici imperii administro, publice inscripta. Atque etiam hoc opus profectum est ex eadem Ibrahimi officina, qui et typos non aliunde petere opus habuit, sed ipse Constantinopoli efformavit, et ad componendos illos haud exteros homines adhibuit, sed domesticos, qui Gallice prorsus nescirent: qua re ipse etiam in praefatione usus est ad excusandum, quod opus ab ea, quam ipsi inesse vellet, longius absit perfectione elegantiâque. *Auctor* vero grammaticae, cui nomen praefigere visum haud erat, haud est, quem Bjornstahlius profitetur, Paulus Eremiani, sed Holdermannus, Germanus, Jesuitarum formulae adscriptus, et per complures annos Galatae Missionarii, ut dicunt, munere defunctus.

Ibrahimus ipse conscripsit ediditque librum, cui titulus: fundamenta scientiae in ordinandis populis, quo id praecipue spectavit auctor, ut rationem belli gerendi artemque militarem, qualis apud reliquas in Europa gentes esset, suis commendaret atque ad imitandum proponeret. Quod quidem consilium, etsi tum quidem vim nullam habuerit, opusculum ipsum tamen postea dignum visum est illustrissimo Rewiczky, Caesaris nunc apud regem magnae Britanniae Legato, quem Gallice converteret, ederetque Viennae anno sexagesimo nono, inscriptum: Traité de Tactique — quae editio et Parisiis repetita est, et Viennae nuper in vernaculum sermonem translata.

Sed commemoranda potissimum videntur, quae ad Geographiam spectant et historiam opera. Et *geographicum* quidem opus unicum prodiit, inscriptum Dschehâm Numa, h. e. descriptio orbis, quod tabulis geographicis triginta novem, aeri incisis ornatum, agit breviter de orbe universo, copiosius autem de provinciis Asiae, quae sunt imperio Osmanico subjectae; diciturque multa complecti, quae ad cognoscendam earum historiam veramque conditionem egregie faciant: quapropter Francicam operis versionem servat bibliotheca regia Parisiensis; ejusdemque operis Turcice edendi initium fecit Norbergius, professor Lundensis.

Historici autem argumenti sunt primo tabulae chronologicae, auctore Kateb Dscheleby, qui et Hadschi Calfah dicitur, quae res gestas nonnisi breviter et summatim referunt; deinde Annales Osmanici, Taarich dicti, ab scriptoribus auctoritate imperatoria constitutis compilatis et historiam imperii copiosius exponentes: quorum par, prima, ab Hedschrae anno millesimo ad millesimum septuagesimum usque, edita est voluminibus duobus, altera,

quae ad annum Hedschrae millesimum centesimum quadragesimum primum (Chr. 1728) decurrit, pariter duobus comprehensum est voluminibus.

Tandem agmen claudit Lexicon persico-turcicum, Ferhenghi Schûri dictum, quod duorum voluminum opus prodiit anno hujus saeculi quadragesimo secundo. Est quidem communis et pervulgata nostrorum hominum opinio, et expirasse penitus typographiam hanc Constantinopolitanam, et deletam esse propterea, quod qui libris calamo exscribendis victum quaererent librarii perquam numerosi, seditione facta, poscerent urgerentque rem novam sibique damnosam deleri penitus abrogarique. Et videas quoque a multis vitio hanc rem verti exprobrarique Turcis, ut quae turpissimam barbariem, et ferociam proderet haud ambigue. Quod qui faciunt, nae illi parum memores sunt, etiam apud cultissimas quasque gentes haud defuisse spectacula prorsus similia *). Veluti quum machinae textoriae, pluribus simul lemniscis conficiendis aptae, superiore saeculo inventae essent, proh! quam fortiter illis, tanquam inventis, quae multorum hominum operam impedirent et victum, repugnatum est in Germania, ut Imperatoriis etiam decretis proscriberentur, atque in ipsa adeo Saxonia electorali admitterentur demum ante hos viginti tres annos **). Quid, quod vicesimo demum abhinc anno, in Anglia, prope Londinum, mola quae ad secandas arbores vento agitaretur, recens exstructa, facto plebis indignabundae concursu, subito eversa est atque deleta. — Verum omnis ille rumor, de tumultu ob typographiam Constantinopoli facto,

---

*) Bekmann, Beyträge etc. I Band. pag. 124.

**) Ib. II B. p. 275.

nonnisi fabula est et vanissimum commentum. Neque magis verum illud est, quod vel Tottius perhibet, qui superbius, ut solet, dicit: on la meprisa; Ibrahim ferma boutique; vel Bjornstahlius refert in litteris Constantinopolitanis, expirasse typographiam, quod libri emtores non haberent inter Turcas, scriptorum quam impressorum librorum amantiores. Certum quidem est, orientaes libris calamo studiose exaratis magis delectari quam excusis, quod putent neque id temere, typorum impressionem, quae non est nisi scriptionis quaedam imitatio, calami elegantiam omnem assequi haud posse. At, quemadmodum et apud nos, qui amplae nitidaeque chartae impressi sunt libri, magis placent, quam qui fuscae bibulaeque, nec tamen vilioris chartae libri emtoribus carent, scilicet quod sunt illis parabiliores: ita et Turcas ab impressis libris non abhorruisse vel ex eo intelligas, quod nonnullorum librorum editiones, divenditis primae exemplis omnibus, mox essent repetendae. Sed vera atque unica causa, quae negotio typographico languorem induceret, erat obitus Ibrahimi. Et habebat ille quidem successorem, suae disciplinae hominem, sed qui nec regendo negotio par esset, nec ingravescente bello Russiaco publici auxilii quidquam haberet, atque et ipse quoque brevi diem obiret. At qui nunc imperio praeest Abdul Hamid, ut est ingenii mitioris atque in litteras propensi, post pacem cum Russis compositam, petentibus duumviris in dignitate positis, alteri Cancellariae praesidi, Historiographo publico alteri, veniam et jus fecit restaurandae pristinae collapsaeque typographiae, diplomate regio, honesto ac plane liberali, scripto ad diem XI Mart. anno hujus saeculi *octogesimo quarto*. Edita igitur est nova pars Annalium Osmanicorum, quem mox secuta est alia.

Ultimo loco prodiit grammatica arabica, Cafia dicta Europaeis haud incognita, utpote pluribus apud nos editionibus publici juris facta. Sed qui ex ephemeridibus nonnullis percrebuit rumor, id agi, ut Encyclopaedia Parisiensis edatur turcico sermone, vanus est ac plane ridiculus.

Intelligitis, Auditores, non adeo ineptos esse Turcas, atque a novis institutis ita penitus alienos, quales plerumque perhibentur a nostris hominibus. Typographiam certe haud aegre admiserunt, admissam si non foverunt, tulerunt tamen humaniter. Videtur illa nunc quidem negligentius haberi, ac fere languescere: at, si Ibrahimum nacta fuerit, hoc est virum intelligentem, promtum, alacrem, brevi poterit vitam recipere, atque in formandis Turcarum et ingeniis et moribus vim exerere prorsus mirabilem. — Verum haec persequi vetat temporis ratio. Peragendum nunc illud, cujus causa instituta est haec qualiscumque solemnitas etc.

XIV.

ORATIO PRORECTORIS

a. d. 1. Nov. 1793.

INTER LUCTUM DE OBITU

CAROLI,

WÜRTEMBERGIAE DUCIS, HABITA.

Academicum, quem hodie pono, magistratum cum ad diem decimum tertium Maji susciperem, traditum mihi, praesente, atque etiam annuente Magnificentissimo hujus Scholae Rectore, Serenissimo et clementissimo Duce ac Domino nostro, CAROLO; quis quaeso erat inter vos, auditores, cui in mentem veniret, imminere nobis talem, qualem passi sumus, tristissimam jacturam et calamitatem? Optimus princeps, cum procedentem ex Senatu comitanti mihi ultro significaret humanissime, intelligere se, grave esse et molestum, quod mihi impositum sit, onus; quam ego, praesentem quasi, animi recreationem captavi ex cogitatione, diuturnum illud haud esse sed post modicum tempus deponendum iterum praesente, et fidem atque industriam meam qualemcunque haud improbante clementissimo Domino. Discedens vero a nobis spem fecit ipse humanissimis verbis, et brevi se rediturum, et subinde etiam accessurum ad nos, ut intelligat, quid rerum apud nos geratur.

Et gaudebat quoque tum valetudine corporis optima, animi autem vigor atque alacritas talis in eo conspiciebatur, ut ne senescere quidem videri posset. Et quod opinio esset haud vana, corpus illum a natura sortitum esse tale, quale paucissimis mortalibus obtingat, quod laboribus frangi non posset, nec morborum tentationibus facile locum daret, accederetque ad hoc naturae bonum cura valetudinis, et victus temperantia, animique moderatio; factum hinc est, ut non speraremus modo sed plane etiam confideremus, etiamsi qui rebus Wirtembergicis adhuc praefuerunt duces longaevi haud fuerint, nisi

forte unicum Ulricum dicas, qui solus annum sexagesimum quartum aetatis vivendo assecutus est; certo tamen futurum esse, ut Carolus noster, ordine duodecimus, non modo superiores omnes aetate superet, sed totum hoc, quod agitur et ad finem inclinat seculum vivendo expleat, proximum etiam, si Deo visum fuerit, assecuturus.

Quam igitur cupidi exspectavimus, quam certi prospeximus singularem illam, atque in Wirtembergicis terris invisam adhuc solemnitatem, ut paucis, non nisi tribus, mensibus exactis, qui desunt ad perfectum suae gubernationis semiseculum, auspicati ab se regiminis memoriam celebraret semisecularem.

O fallacem mortalium spem atque exspectationem, o miseram rerum humanarum omnium varietatem atque inconstantiam! Itane haud succedet festa illa supplicatio, populo non minus expetita quam principi! itane in fatis erat, non contingere a qua proxime abesset metam optatam! Conversa est subito, nobis haud opinantibus, laetitiae publicae spes atque exspectatio in praesentem luctum et lamentationem gravissimam. Non rediit ad nos Carolus, vacua est sedes, non iterum occupabit — nunquam ad nos redibit — ereptus est rebus humanis, obiit, exstinctus est, ac triste atque immensum sui desiderium in nobis reliquit. Quis sibi temperet a lachrymis? quis desiderio pudor aut modus?

In hoc recenti gravissimoque luctu nostro quid ego possim animo sentire, quid videre oculis, quid verbis eloqui nisi Carolum nostrum desideratissimum? Date hoc mihi, vos studiorum gravissimi antistites et vos ceteri auditores exoptatissimi, ut liceat mihi aliquantisper morari ac haerere in cogitatione carissimi principis. Etsi quidem ego probe sentio, me minime eum esse, qui sin-

gulari quadam vel eximia facultate ingenii quae de tanto principe exspectatione vestra digna existimentur, exponere possim, vel quae nota vobis sunt et communia sic quasi vestire verborum sententiarumque ornatu, ut nova, intacta, singularia videri possint; equidem satisfecisse mihi putabo, si pietatem meam magis quam orationis copiam probavero.

Erant certe in Serenissimo Carolo nostro multa praeclara et prorsus egregia. Quemadmodum vero praetereuntes tabulam aliquam luculente pictam solemus plerique, qui artifices in hoc genere ipsi non sumus, certas aliquas partes in ea potissimum spectando admirari, sic illustrissimam speciem optimi principis animo intuens et pene cernens oculis ex conspicuo splendore virtutum unam alteramque visum est commemorare, non percensere universas. Et universe quidem fatendum est, magnum et excelsum et flagrantem amore laudis animum, curam studiumque honestatis, favorem et benignitatem erga optimas disciplinas atque artes, caritatem patriae, clementiam quoque et humanitatem, in Carolo et vivente emicuisse, et in mortuo laudis celebratione, et omni venerationis cultu esse dignissimam.

Fuit in illo is animus, qui non sciret neque posset quiescere, et desidiae tam suae ipsius quam aliorum esset impatientissimus. Itaque juvenis cum esset, semper expetebat usurpabatque exercitationes corporis, quibus, veluti cursibus, venationibus, aliis nonnunquam ad defatigationem usque abuteretur. Hinc ad rei *militaris et bellicae* labores cupiditas Illius celeriter et vehementer incubuit, volebatque in militia maxime virtutem suam conspici, ut qui universe magna laudis et gloriae cupiditate flagraret. Ex rei militaris tractatione, cujus studium nun-

quam omne deposuit, videtur contraxisse insignem illum et constantem amorem *disciplinae*, ejusque severioris, quae minuta adeo, quae in oculos cadunt, complecteretur: eratque in illo mira ac stupenda vis atque acies oculorum, quae *uno* obtutu infinita comprehenderet. In judicandis aestimandisque hominibus mirum quantum valebat, ut et ad quae quisque esset maxime idoneus, facillime perspiceret, neque ullius diligentia fidesque, aut socordia voluntatisque alienatio facile illum fugeret. Si cujus fidem ac voluntatem perspectam sibi et probatam esse putaret, aegre se passus est ab ista opinione dimoveri. Minus contra difficilem se praebebat ad mutandam sententiam de illis, quibus vel ipse minus favisset, vel quos ab se alienos, atque sibi adeo adversantes repugnantesque arbitratus esset; et extant exempla satis conspicua, rediisse in Ipsius gratiam, qui nonnihil inclementius antea ab eo habiti videri poterant. Nequaquam in ipso abfuit mansuetudo, lenitas, comitas, ne urbanitas quidem: nec proferri potest quidquam ab illo perpetratum crudeliter, vel in quo saevitia insignis notari posset. Animum regere ac continere, temperare sibi, iracundiam cohibere, dissimulare aegritudinem poterat quam qui maxime, et memini ex ore illius audire: non infrequenter id accidere, ut vultum ad comitatem compositum in se praedicarent alii, dum intus vere doleret animus.

Alienissimus erat Carolus a vana opinione, nihil unquam *minus recte* ab se perpetratum esse, vel minus dignam principis persona videri posse humanae fragilitatis ingenuam confessionem. Dissensionem, maxime si opportuna esset, ferebat haud impatienter; et multa certe, ab se vel facta, vel in aliis probata, Ipse improbabat vehementer, postquam adolescentiae impetus atque incitatio-

tationes deferbuissent, aetate magis firmata. Novimus optimum principem, cum quinquaginta annos vivendo explevisset, professionem edidisse et voluntariam, et publicam, et maxime solemnem talem, qualem privatorum etiam hominum paucissimos ab se impetrare posse pronuntiaverim. Et proximo etiam anno praeclaram publice edidit sententiam hanc, quam non possum quin Ipsius verbis usus recitem:

> Fürsten fehlen, fehlen nur gar zu oft, wenn sie auch Väter sind. Ist es aber billig, dafs, um eines vielleicht unwillkührlichen Versehens willen, gleich der Saamen des Mifstrauens ausgestreut, dafs dasjenige, was an einem andern Menschen nicht gerügt würde, bey *ihnen* gleich zum Verbrechen gemacht, und alle ihre, manchmal noch so unschuldige, Handlungen mifskannt und verdächtig gemacht werden? Difs stört die Eintracht, und untergräbt das Glück der Gesellschaft.

Caritas patriae erat in Carolo nostro maxime conspicua. Videmus quidem nonnunquam accidere etiam in summis et laudatissimis principibus, ut nonnisi extera et peregrina appetant aestimentque, domestica vero parvi habeant et fere despiciant. At in nostro principe erat plane diversa ratio. Etenim, quam ipse gubernandam nactus erat provinciam, non modo salvam esse voluit, pacatam, tranquillam, prosperam, et nullo alio magis quam patriae patris nomine et delectatus et ipse usus est: sed multa etiam atque excellentia, quibus patria nobilitatur, bona perspecta habuit et praedicavit ipse. Indigenas civesque neutiquam posthabuit exteris hominibus, cer-

tus et persuasus, etiam nostro sub coelo ingenia et gigni posse, et ad praeclara quaevis efformari. Honestissimam quoque voluptatem ducebat ex ea cogitatione, quod et ipse, ex quo rempublicam administraret, in Wirtembergia sua auxerit studia, culturamque optimarum disciplinarum et artium, et doctrinae elegantiam atque eruditionem. Itaque mirifice delectatus est, quotiescunque ipsi cum exteris, eruditionis fama claris, sermonem habenti opportunitas obtingeret, aut commemorandi aliquem suorum civium, aut de Wirtembergensibus vel universis vel singulis honorifice statuentem aliquem audiendi. Quod ipse privatam sibi in Hohenheimensi suo praedio bibliothecam conderet, quae omnia complecteretur, quae essent inde a tempore susceptae a se summae potestatis in lucem edita a Wirtembergensibus, omnino et ipsum demonstrat haud obscure, caram et jucundam sibi fuisse patriam patriaeque famam atque existimationem.

Quamvis ipse studiis non esset legitime instructus atque excultus, nec ipse *doctrinae* famam magnopere expeteret, litterarum culturae tamen pretium statuit permagnum, earumque antistites tractavit honorifice. Quam bene autem litteris vellet, loquitur et declarat *bibliotheca*, quam ipse primus instauravit, atque immensis, non publicis, sed suis, sumtibus non modo instructissimam reddidit, sed et singularibus quibusdam dotibus prae reliquis omnibus conspicuam. Ac si suo magis studio, quam aliis rationibus obtemperare licuisset, eandem porro magnificentissimis ornasset accessionibus. Etenim non multis abhinc annis serio id agitavit, meo qualicunque ministerio usus, ut immensam, quam celeberrimus De Rossi undique conquisitam habet, voluminum veterum biblicorum supellectilem suam faceret, id est Wirtembergicam;

nec eventum rei frustravit nisi immane, quod Italus ille mercibus suis litterariis statueret pretium, quod omnino effecit, ut Carolus primo differret, postea intervenientibus aliis curis gravioribus etiam dimitteret omne hoc consilium. Et quamvis adhuc forte frugem atque usuram talem non tulerit bibliotheca principalis, cui ferendae par esse videri possit, in magno tamen beneficio ponendum, et praesto eam esse, et posse posthac ad publicum et communem usum accommodari.

At superest, quod omnino nefas esset silentio dissimulare, libertatem sentiendi scribendique de rebus humanis divinisque non modo non aversatus est Carolus, sed noluit etiam angustioribus finibus circumscribi, quam opus esset ad arcendam libidinem atque licentiam: ut equidem nesciam, an ulla Germaniae provincia dici facile queat, quae hoc nomine beatior nostra videri possit.

In rebus autem ad religionem externam pertinentibus ea erat optimi principis aequitas facilitasque, ut nihil omnino esset quod desiderari a quoquam posset. Quamvis enim Ipse, quod viri probi est ac honesti, sacrorum in quibus natus esset atque enutritus observantissimus et esset et haberi vellet, tamen id egit nunquam, ut sollicitaret quempiam, vel suae quam nostrae formulae hominibus exhiberet sese faventiorem. Ipse memini aliquoties hanc ex ore Ipsius divinam sententiam percipere: Etsi non esset nostrae confessionis — (hoc enim vocabulum usurpare solebat) — velletque adeo nostram de rebus ad fidem pertinentibus doctrinam nobis integram manere atque intactam, id tamen sibi maximae curae esse debere, ut patriae ecclesiae haud desint ministri boni, et docti, et vere religiosi; quemadmodum enim cupiat catholici nominis hominem esse vere catholicum, ita non

minus se cupere evangelicae formulae addictos esse vere evangelicos. — Qua Ille cura, quam mirifico ac prorsus singulari studio amplexus sit Stipendium suum theologicum, cum sit evidens nec quisquam nesciat, expositione non est opus, nec sinit me dolor hisce longius immorari, quum animum subit: non licuisse principi optimo incepta opera elaborando perficere, et ex iis ipsis laetitiae usum fructumque diuturniorem recipere.

Ah! multis ille flebilis occidit, paucis flebilior quam mihi, qui non poteram non Eum salutis meae fortunarumque omnium auctorem, praeter Deum, verum ac unicum suspicere atque venerari.

Have, diva anima, in perpetuum have atque vale!

Duo sunt, quae mitigare luctum et moerorem nostrum et possint et debeant. Primum, quod Deus est, qui omnia moderatur, cui refragari adversarique, et quod ipsi placet, non gratum acceptumque habere, nefas sit. Alterum, quod dulcissimae patriae gubernationem universam in se suscepit Serenissimus Ludovicus Eugenius, princeps sapientissimus, constantissimus, clementissimus, cujus dudum probata affectio optimae voluntatis et generosae beneficentiae natura non modo tuebitur et conservabit curam reipublicae in se derivatam, itemque praeclara in academiam hanc patriam collata beneficia, sed augebit etiam atque amplificabit favore suo et novis munificentiae suae argumentis. Hunc igitur, quem Deus patriae largitus est, principem omni voluntate amplectimur, huic nos nostraque omnia tradimus commendamusque.

Hic ut Deum propitium sibi habeat, ut feliciter, prospere, fortunate, ut longissimo tempore rebus nostris praesit, ut serò in coelum redeat, ardentissimis votis ex animo precamur.

XVI.

L O C U S

DE

UTILITATE LINGUAE ARABICAE

AD CRITICAM VETERIS TESTAMENTI EXEMPLIS ILLUSTRATUS.

(EX ORATIONE A. 1772 HABITA AD CAPESSENDUM MUNUS PROFESSIONIS EXTRAORDINARIAE ORIENTALIUM LITTERARUM)

Omnis scriptorum veterum tractatio justa et solida duabus potissimum partibus absolvitur, *primo*, ut de verborum, quae explicanda sunt, vera ac genuina lectione constet; *deinde*, ut eorundem verus ac genuinus sensus eruatur. Atque idem profecto de interpretatione tum scripturae S. universae, tum librorum vet. Test. valere putandum est, nimirum quod primo caute dispiciendum, num forte verba vel ab incuria librariorum, vel temporum injuria, vitii aliquid contraxerint; deinde, ut verborum, quae genuina esse intelliguntur, ea sententia pandatur, quam suae orationi subjectam esse voluit Auctor, cum scriberet. Alterum munus *Criticum*, alterum Exegeticum plerumque vocatur: et quo arctius et felicius utrumque in uno eodemque homine conjunctum est, eo doctioris ille Scripturae S. interpretis famam tuebitur. Atque circa hebraei quidem codicis (nam de hoc sermo nobis est) interpretationem per utrumque illud munus vim suam exerit atque utilitatem lingua Arabica, adeoque duplicem habere usum dici potest; alterum, quem nominare liceat *Criticum*, alterum *Exegeticum*.

Et *Criticum* quidem usum *primum* in eo potissimum consistere existimamus, quod primarium fere subsidium, ad crisin Vet. Test. pertinens, veteres nimirum versiones, penitus intelligi et recte tractari sine linguae Arabicae notitia plane non possunt. Mentem primo meam explicabo uberius; deinde exemplis, quae argumentorum vim hac in causa sustinent, rem stabilire contendam.

Constat quippe inter omnes, ad exercendam vet. Test. criticam, quae nostro praesertim aevo tantopere agitatur, praeter libros mstos antiquos in subsidium vocari praecipue versiones Graecas, Syriacam, Chaldaicam, Vulgatam, alias, quae ex prisca antiquitate ad nos devenerunt. Atque inter has primus locus, communi omnium suffragio, assignatur illi, quae a LXX senioribus nomen habet, rectius Alexandrinae nomine compellanda, utpote omnium antiquissima est et multis jam ante natum Christum annis concinnata. Haec igitur, tanta sua antiquitate venerabilis, dignissima plerumque reputatur, quae cum hebraeo codice contendi, ejusque cum quicquam labis admiserit, emendandi fons et norma haberi possit. Hinc, ut taceam illum superioris aetatis criticum, Ludov. Capellum, quo fere nullus hac in materia majori cum studio versatus fuit, hinc, inquam, videtis nostri praesertim temporis criticos semper fere in ore habere graecam illam versionem, ad quam, cum incidunt in codicis hebraei locum talem, qui obscurior est et medica manu opus habere videtur, tanquam ad sacram anchoram confugiunt, summumque sibi praesidium invenisse putant, si, quam ipsi substituere amant, lectionem vel conjecturam, illius versionis consensu atque auctoritate firmari posse deprehendunt. Jam ego quidem is non sum, qui *universum* hoc genus critices *plane* reprobandum putem atque aversandum; quamquam et illud reticendum non est, gravia esse ac consideratione dignissima illa dubia, quae nuperrime contra versionis graecae auctoritatem criticam in medium prolata sunt in Germania a clarissimo Tychsenio. Sed utcunque se res ista habeat; hoc profecto affirmare audeo, mancam esse atque imperfectam versionis graecae intelligentiam, nisi accedat usus linguae Arabicae.

Haec vero multa ejus loca, quae obscuriora sunt, vel esse putantur, luce perfundit; alia, quae sunt minus recte translata, ita explicare docet, ut occasio erroris intelligatur; multa, quae diversa plane esse videntur a textu originali, in gratam cum eo concordiam reducit. Sed video jam, vos a me expectare, ut dictis *fidem* quoque faciam meis. Liceat itaque unum alterumve exemplum proferre quam brevissimis. (1) Quando Deus apud Jeremiam prophetam (XXXI. 32.) capite tricesimo primo, inconstantiam exprobrat Judaeis, qua irritum fecerint foedus cum illis contractum additque וְאָנֹכִי בָּעַלְתִּי בָם atque ego tamen *dominatus* sum in eos (ut plerumque accipitur ab interpretibus); quam parum accurata primo intuitu esse videtur sententia graecorum, quando hoc modo reddunt istam locutionem, *καὶ ἐγὼ ἠμέλησα αὐτῶν*, *et ego neglexi eos?* Sed ex Arabica lingua cognoscitur, verbum בָּעַל non minus *fastidiendi* significationem habere, quam notiorem illam ac frequentiorem, *dominandi.* (2) Apud Esaiam prophetam (XXVIII. 16) cap. vicesimo octavo legitur: וְהַמַּאֲמִין לֹא יָחִישׁ *et qui credit, non festinabit:* sed Graeci reddiderunt, *καὶ ὁ πιςεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται*, *non pudefiet.* Scilicet arabica radix, quae hebraeae exacte respondet, triplicem vim habet, festinationis, pudoris, timoris. (3) Planissimam, quae apud Habacucum Cap. I. 5. extat, loquendi formulam, רְאוּ בַגּוֹיִם *videte in gentibus*, interpretati sunt Graeci hoc modo: *ἴδετε οἱ καταφρονηταὶ*, *videte contemtores.* Num igitur statuendum cum Beza, Grotio, aliisque, habuisse illos in *suo* codice, non בַגּוֹיִם quod in hodierno est, sed בּוֹגְדִים *praevaricatores?* Vix crediderim. Sed

videntur potius cogitasse de themate بَغَا, quod Arabico idiomate significat, *superbe, insolenter se gessit.* Quod idem statuendum in alio loco notissimo, Psalmi decimi noni (XIX. 5): per omnem terram exivit linea eorum, קַוָּם, ubi Graeci habent, *ὁ φϑόγγος αὐτῶν*, sonus eorum. Non quod, secus ac nos, legerint, קוֹלָם, sed quod sono quasi decepti, cogitaverunt de verbo Arabico قوه, *clamoris* significationem habente.

Quum Prov. 25, 20 phrasin hebraicam חֹמֶץ עַל נָתֶר transtulerint LXX, *ὥσπερ ὄξος ἕλκει ἀσύμφορον*, quam sunt verba haec male habita ab interpretibus, quorum plerique ne Graecae quidem dictionis verum sensum assequebantur, nedum illius cum Hebraicâ convenientiam. „Nihil ad rem facit Alexandrinorum *ὥσπερ ὄξος ἕλκει ἀσύμφορον*" pronunciat tanquam ex tripode *Clericus*, putans cum plerisque aliis, loqui Graecos de *aceto incommodum trahente*, quod sane foret ineptissimum. Meliora vero eum docuisset Alexandrinae versionis interpres Arabicus الخل لا يوافق القرحة. At Is. etiam Vossius, magnum in orbe literato nomen, etsi bene interpretabatur graecam locutionem (sicut acetum *vulneri* inutile), in eo tamen mirum quantum hallucinatur, quod τὸς ὁ putat in hebraeo codice legisse בָּהוֹר, hocque vocabulum inaudita plane significatione *pustulae* accepisse. Habebant omnino, ut nos hodie habemus, נֶתֶר, quam vocem olim, vivente etiamnum, vel saltem nondum adeo quam nunc est emortua, lingua Hebraica, vulneris (ἕλκους) notationem sustinuisse, ex Arabica lingua patet, in qua الطعن المبالغ فيه نَتَّم, ictus alte adactus.

In difficili illo loco Psalmi 84, vs. 7 verba גַּם בְּרָכוֹת יַעְטֶה מוֹרֶה transferuntur ab Alexandrino interprete hoc modo, *καὶ γὰρ εὐλογίας δώσει ὁ νομοθετῶν.* Quare vero, *dabit*, eccur non, *operiet?* Profecto non ignorabat interpres noster notam illam ac obviam verbi עָטָה significationem; sed cum videret in textu neminem, qui *bonis* diceretur *operiendus:* non incommode *largiendi* notionem adoptabat ex lingua Arabica, in qua عطا in quarta est largiri. Sic idem Esai. 65, 23 vocabulo בֶּהָלָה tribuit significationem *τῆς κατάρας*, maledictionis, ignotam eam quidem Lexicis recentioribus hebraicis, neque tamen fictam eam (nam بُهْلَة est maledictio), immo etiam loco huic vulgari illa *terroris* multo aptiorem, uti ex opposito proxime insequenti cognoscitur.

Horripilat prae timore tui cutis mea (ö بَشَر).

Psalmo 119, 120 pro Hebraea phrasi סָמַר מִפַּחְדְּךָ בְשָׂרִי ponit idem interpres, *καθήλωσον ἐκ τοῦ φόβου σου τὰς σάρκας μου*, clavis configo a timore tuo carnes meas. Satis incommode profecto, nec tamen absque omni, ut videri imperito possit, ratione. Nam in Arabismo (quidni etiam olim in Hebraismo?) سَمَر est *clavis configere*, unde altera illa vis, quae verbo isti hoc loco obtinet, ob rei similitudinem fuit deducta.

Haec vero specimina nobis nunc sufficiant; qui plura desideraverit, adeat Pocockium in praestantissimis Notis suis miscellaneis, Portae Mosis Appendicis loco subnexis, quae tam mihi eximiae bonaeque frugis plenae videntur, ut mirari subinde subeat, non plures exstitisse viros doctos, qui pressis praeclarissimi Pocockii vestigiis, ad

illustrandam ex Arabico idiomate versionem graecam, adeoque textum sacrum ipsum, animum appulerint.

Sed alia quoque est linguae Arabicae utilitas, huic, de qua proxime diximus, perquam affinis, nimirum, quod non modo ad *recte intelligendam* versionem graecam, sed et ad eandem *castigandam multisque mendis purgandam* plurimum prodesse Critico potest linguae Arabicae notitia. Versionem *τῶν ἑβδομήκοντα* qualem typis eam expressam habemus, si vitiis laborare dixerim haud paucis, vel ex temporum injuria, vel negligentia librariorum, vel aliis causis qualibuscunque ortis, rem *novam* narrare videri profecto non possum. Prostant hac de re virorum doctorum querelae. Et nuper eas in unum quasi collegit eruditoque orbi proposuit doctiss. *Owenus* Anglus, eo potissimum consilio, ut excitaret alterum quendam Kennicotum, qui collatis quotquot extant Mstis, aliisque subsidiis criticis in subsidium vocatis, eam tandem nobis praestaret versionis graecae editionem castam et repurgatam, qua commode et cum fiducia uti possemus.

Sed quicunque tandem criticae sacrae praeclarum illud beneficium sit praestiturus, nae ille Arabica lingua sine maximo rei suae incommodo carere non potest. Nam habemus versionem totius vet. Test. Arabicam talem, quae, si a paucis quibusdam libris discesseris, peritissimorum in arte virorum sententia, ducta est non ex ipso hebraeo fonte, sed si paucos vet. Test. libros, ad Syriacam versionem translatos, exceperis, graeca potissimum translatione. Imitanda igitur sunt exempla eorum, qui Graecorum Romanorumque scriptis expoliendis suam navant operam, qui cum habent libri cujusdam versionem antiquam, ea sic utuntur, ut inde, tanquam e msto,

lectionis varietates colligant, atque hoc modo sensum scriptoris verum ac genuinum feliciter saepe restituunt. Hac ratione magnus ille Salmasius, ut exemplo potissimum utar cum hac nostra causa conjunctissimo, Dioscoride Arabice verso usus est ad rectius intelligendum, atque etiam ad corrigendum Dioscoridem graecum; atque ita usus est feliciter, ut plus mille locis hunc ex illo emendari potuisse, ipse profiteatur in praefatione tabulae Cebetis praemissa. Eâdem itaque ratione adhibenda est versio ista Arabica ad expoliendam, e qua nata est, Graecam; ad tollendos ex hac librariorum lapsus; ad scholia quae haud raro in textum e margine irrepserunt, eliminanda, ad ea, quae transposita sunt, in nativum ordinem redigenda. Exemplum vide Proverb. 25, 20, coll. Schultens. commentario, quomodo locus τῶν ὁ male intellectus ex Arabica versione potuisset recte intelligi. Hoc vero eo magis commemorandum esse duxi, quoniam hic usus Arabicae versionis a paucis observatus, negotium ipsum autem susceptum adhuc fuit a nemine; ut haberet itaque ingenium aliquod praestantius materiam *novam*, in qua cum fructu et laude posset versari. Accedit, quod ea est natura linguarum orientalium, ut a Graeca, Latina aliisque Occidentalibus, quibus nos a prima inde juventute assuescimus, mirum quantum discrepent, habeantque verborum constructiones oppido multas, quae in his tanquam absonae atque absurdae nulla ratione ferri possent, cum sint in illis non modo usu receptae, sed elegantiae etiam speciem quandam habere putentur. Jam vero si accedat ad libros Hebraicos Criticus talis, cujus non sit adsuefactum ingenium indoli scriptorum Orientalium; fieri sane nequit, quin multa in libris sacris hebraicis ipsi obveniant absurda, ut putat, atque obelo

digna, quae tamen non modo non improbasset, sed laudasset, etiam tanquam exquisita, ac linguae genio apprime convenientia, si, contracta prius cum Arabicis scriptoribus familiaritate, emendandi pruritum temperare didicisset. Est in hoc genere prae multis aliis admodum infelix *Houbigantius*, quod, ne injurius videar, unico saltem exemplo breviter demonstrare mihi liceat. Quum Jobi XVIII, 4 Bildadus Jobum alloquitur hisce verbis, *absurdum* videtur Critico, dirigi sermonem ad praesentem aliquem tanquam ad absentem, mutatque audaci manu נַפְשׁוֹ in נַפְשִׁי, sensu praeterea parum elegante. *Houbigantio* quidem absurdum hoc videri facile poterat, quippe Hebraica ut plurimum ad occidentalium linguarum regulas dimetienti: at absurdum videri nequit illi, qui ex Arabum scriptis didicit, non modo licitum, sed elegans adeo haberi illud dicendi genus, quo, quem praesentem alloqueris, compelles tanquam absentem, dicasque: O eum qui prae ira saevit contra se ipsum! num tui caussa derelinquetur tellus? quam admodum recte habet interpres Arabs أيها الغاتل نفسه نغضبه

Atque haec de linguae Arab. *utilitate Critica* dicta sunto.

XVII.

ADUMBRATIO
ANIMI MORUMQUE
A SCHNURRERO NOSTRO
IN BJÖRNSTALIO, SUECO,
OB PEREGRINATIONEM ORIENTALEM CELEBRI, OBSERVATORUM.

(Ex Oratione habita in Aula Nova
a. d. 17. Sept. 1780)

Tribus quatuorve abhinc annis Sueciae rex, Gustavus III virum doctum, *Jacobum Jon. Björnstal*, professorem L. L. OO. Lundinensem designatum, postquam praecipuas Europae terras, comes ac moderator Rudbeckii, peragrarat, jussit suis sumtibus iter in orientem instituere. Et consilium quidem hoc erat, ut Björnstal Constantinopoli in Asiam delatus Palaestinam Syriamque peragraret, deinde eam Africae partem, quae mari mediterraneo adjacet, lustraret, tandemque per Hispaniam domum rediret: quod iter biennii spatio absolvi posse videbatur. Itineris socius illi primum constitutus fuit *Car. Stridsberg*, *Suecus*, postmodum, hujus valetudine afflicta, *Matthias Norberg*, pariter Suecus. Hic dum ex Italia iter Constantinopolin faceret, putavit Björnstalius, moram haud melius collocari posse, quam itinere in Graeciam instituendo. Sed hoc ipso in itinere morte nimis praematura interceptus est. Nam dysenteria correptus obiit d. 12. Jul. 1779. Thessalonicae, quae urbs est primaria Macedoniae. Gravissima est, nostro judicio, quam ex hoc obitu passa est litteratura orientalis, jactura. *Si quis enim alius, Björnstalius certe, quocum ante hos decem annos Parisiis in eodem hospitio quatuor menses conjunctissimi viximus, aptissimus erat ad iter orientale multo cum fructu perficiendum.* Nam praeter linguarum orientis haud vulgarem peritiam plurima in illo unice conspirabant, quae raro etiam in singulis deprehenduntur. Erat ille aetatis admodum matu-

rae, corpore validus ac robustus, paucissimo atque vilissimo victu contentus et mirum in modum sobrius. Erat propositi tenax, laudis cupidus, erga alios officiosus, in laudando liberalis ad assentationem usque. Neminem ego quidem unquam vidi, qui esset in comparando sibi aditu ingeniosior, in contrahendis familiaritatibus promtior, neminem, qui esset aeque ac ille curiosus; nam in quaestionibus faciendis rebusque omnibus indagandis erat indefessus ac plane insatiabilis. Neque tamen solum in discendo avidus erat, sed et in illis rebus, quas viderat didiceratque, apte, evidenter describendis, atque ob oculos quasi ponendis admodum felix, quod quisque in legendis illius epistolis, in lucem publicam editis, non potest non persentiscere. Talis igitur cum fuerit Björnstalius, ipsi judicabitis, Aud., quam gravis ejus jactura censenda sit litteraturae orientali, quamque sit optandum, ut qui in locum ejus successit Norbergius ad eandem explendam fortuna utatur prosperrima.

E r r a t a.

Pagina	linea	
3	13	*gestirent* Lege *gestiunt.*
5	5	*Burchardo.* Lege *Burckhardto.*
	6	*Millero.* Lege *Müllero.*
	16	*renascenti, contraria.* Dele comma.
10	16	*si, probaret.* Dele comma.
20	1	*censore.* Lege *censori.*
22	9	infr. *Kontelaar.* Lege *Kantelaar.*
26	2	*Kantelarii.* Lege *Kantelaarii.*
Ibid.	6	*incolumen.* Lege *incolumem.*
29	3	*prope.* Lege *probe.*
49	3	infr. pro puncto pone comma.
51	2	infr. *maxim o.* Lege *maximo.*
53	2	infr. dele *an.*
55	11	infr. *verecundiae.* Lege *verecundae.*
63	8	infr. *Augustianum.* Lege *Augustinianum.*
66	11	*Scotistae.* Lege *Scotista.*
71		*Matthia.* Lege h. l. ac deinde *Matthaeo.*
78	14	*in augur.* Lege *inaugur.*
125	10	*τὴν.* Lege *τὴν.*
Ibid.		*ἑαυτῆς.* Lege *ἑαυτοῦ.*
147	9	*saec. decimo septimo.* Lege *saec. dec. sexto.*
162	1	*decenni.* Lege *sexenni.*
166	9	*Schichardo.* Lege *Schickardo.*
174	14	infr. *Killer.* Lege *Hiller.*
181	3	*Burkhardo.* Lege *Burckhardto,* ut deinceps.
199	1	infr. pone *argumentum* post *mirabile.*
201	9	*meridium.* Lege *meridiem.*
214	18	*habeat.* Lege *sit.*
221	1	*Schickh.* Lege *Schick.* Neque aliter l. 11.
226	6	infr. dele *rei.* Ibidem l. 5. ante *diu* pone *re.*
229	4	infr. *Bjornstahlius.* Lege *Björnstalius.*
230	6	post *consilium* dele comma.
Ibidem	9	*quem.* Lege *quod.*
Ibidem	4	infr. *compilatis.* Lege *compilati.*
Ibidem	3	infr. *par,.* Lege *pars* sine commate.
231	3	*comprehensum.* Lege *comprehensa.*
232	4	*Bjornstahlius.* Lege *Björnstalius.*
Ibid.	3	*'meprisa.* Lege *méprisa.*
Ibid.	8	*es.* Lege *les.*
Ibid.	1	infr. *quem.* Lege *quam.*
238	12	post *semisecularem* pone signum exclamandi.